

# Specimen

## Quaestionum Lucilianarum.

---

Postquam Robertus et Henricus Stephani inter *Fragmenta poetarum veterum Latinorum* 1) etiam C. Lucilii reliquias ab ipsis primum collectas ediderunt, separatim easdem atque singulatim recognovit auxitque *Franciscus Dousa* 2), filius Iani, cujus potissimum — ut ait in *Dedicatione* — consilio ac judicio utebatur. Qui tametsi in restituenda his fragmentis vera genuinaque forma atque in docta eorum explicatione operam multam consumpserat, eamque haud irritam, cum praeter patrem, virum Latinarum litterarum peritissimum, aliosque eruditos etiam Jos. Scaligerum habuisse adiutorem videatur: non tamen potuit Baelii 3) quandam reprehensionem effugere, qui curam ejus agnoscens indigere sic quoque has reliquias pronunciavit, quae ab docto aliquo homine denuo percenserentur atque explicarentur. Nec in-

1) Parisiis 1564. 8.

2) Dousae editio Lugduni Batavorum apud Raphelengium prodiit anno 1597. 4. Eam denuo, auctiorem, ut dicunt, Patavii apud Cominum typis describendam curarunt fratres Vulpium a. 1735. 8. atque una cum Ceasorini de die natali libro etiam Sig. Havercampi filii Lugd. Bat. a. 1743. 8. Haec igitur tertia est: exemplaria autem quae inscriptum habent Amstel. 1661. (4.) solum titulum mutavisse testes sunt Fabric. *Bibl. Lat.* III, p. 231 et Ebertus in *Lexico bibliogr.*

3) *Lexico crit. et hist.*

juria ille ita censuit: certe sententiam multo graviorem Dousa de se ipse tulit, cum sic sentiebat, ut quae praestiterat *vacillantis adhuc et parum liquido consistentis ingenioli tyrocinia vocaret.* a) Quod illum vere de se confessum esse, quicumque librum ejus evolvit intellexerit: quanquam non minus credibile est illud, quod ibidem narrat, se ab edendi consilio »revocatum tacita quadam conscientiae trepidatione« aegre obsecutum Jos. Scaligero *identidem adhortanti et de editione aurem vellenti.* Namque tantum abest, ut illi magno viro datam ejus operam placuisse miremur (habet enim suspicionem lenioris judicii ipsa Scaligeri erga Dousam voluntas), ut plerisque aequalium ejus gratam eam atque optatam fuisse facile nobis persuadeamus. Quapropter si quid tamen in Dousam mihi deinceps animadvertendum erit, id non tam juveni modestissimo volo quam aetati qua vivebat ejusque his in litteris levitati vel minori intelligentiae imputaris.

Judico autem equidem (neque a nobilissimis recentioris memoriae criticis me discrepare puto), ab eo qui fragmenta antiqui alicujus scriptoris edere molitur haec duo in primis spectari oportere: ut unieuique loco omnem scripturae discrepantiam subjiciat, et ut verba quae supersunt ita inter se connectat eumque in ordinem adducat, qui vel ipse conferat aliquantum ad singula quaeque recte perspicienda.

Prius cum alias, tum maxime in recensendis fragmentis necessarium idcirco arbitror, quia plerumque fere extra pauca verba nihil habemus, quo scriptoris mentem ac genuinam manum investigare et assequi possimus. Quod enim in libris integris crebro fit, ut ex ordine serieque rerum et sententiarum atque ex ipso ejus qui scripsit ingenio non tantum vitia aperta corrigantur, sed latentia etiam aperiantur, id in his veterum poematum aliarumque scriptionum particulis fieri ne potest quidem. Saepenumero in earum censura velut in ju-

4) In Dedicazione.

dicio versamur, in quo nisi ex fide testium eaque mala agendum non sit: esse aliquid commissum plerumque convenit, sed neque reum satis, a quo, neque tempus sive locum novimus, ubi id factum est, adeo ut quale sit illud prorsus lateat: tantummodo quaedam fraudis vestigia ad nos delata sunt, e quibus quid verum sit tanquam ex invitis testibus, qui id ipsum vario modo dissimulare atque obtegere solent, acri judici diligenter exquirendum indagandumque est. Necessesse est ergo nullum is interponat suum iudicium, antequam testimonia qualiacunque sunt quam plurima collegerit: quo facto demum criticam artem adhibeat, ut comparando et perpendendo aut id unum eorum dispiciat quod pro vero habendum est, aut tale quid quaerat, si falsa sint omnia, ex quo haec fieri potuisse in promptu est. Huc maxime pertinet quod gravissimus criticus Bentleius in epistola ad G. Richterum data 5) commonet, »quanto mendosiora et absurdiora videantur quae in codd. perscripta exstent, tanto ea fidelius et diligentius observanda notandaque esse: *quippe ex illis contaminatissimis, quae alius forte spreverit et velut indigna notatu praeterierit, ego haud raro pulcherrimas emendationes eruo et extundo.*« An putas, quae homo sagacissimus in scriptore incolumi opus sibi esse duxerit, ea in lacero et dissipato impune contemni atque despici posse ab iis quorum obtusior acies sit? Immo hos diligentiores esse et ut plura cernant longiusque videant, quam praeterca solent, omnibus viribus eniti oportet. At enim multi editores etiam nostra aetate negligentius se gerunt, quorum plures »consistunt fere tum demum, ubi impeditior sensus vel ipsa specie manifestum vitium objicitur; jam ad varias lectiones aut ad vetus exemplar confugiunt, surda plerumque oracula, nisi constanter consulentibus.« 6) Iustae vero,

5) Wolf. Anal. I p. 91.

6) Wolf. prolegg. (Hal. 1795) p. 4.

perpetuae et certis artis legibus nixae recensionis cum multi auctores ex quibus aliorum fragmenta conquirenda sunt adhuc expertes sint, non sine magno labore comparari ea et emendari possunt: utique eum qui colligere illa parat non modo in ipsis quas quaerit reliquias verum per totos libros, eos certe quibus plures earum continentur, necesse est omnem scripturae varietatem percurrere codicumque et veterum exemplarium censum habere. Ita demum fiet, ut singulos testes (liccat uti eadem hujus verbi translatione atque paullo supra) accuratius cognoscat et quid voluerint aut noluerint certius intelligat. Dousac tamen quod in recognoscendis Lucilii fragmentis tantam curam et diligentiam non adhibuit crimini non demus: res enim uti nunc ardua est et quae a Scaligero ipso, si nostris temporibus esset, vix decem annis perficeretur; ita illa tempestate eo fuit difficilior, quod critici ingenii acumine quam certorum ac multorum testium auctoritate proficere malebant. Sed vitio ei vertendum est, quod neglectis veterum librorum testimoniis nunc corruptissima ne verbo quidem signat, nunc conjecturas patris aut aliorum nimia facilitate approbat et pro Lucilianis venditat. Consignata ab eo librorum Mss. differentia et rara est nec testata semper ac fide digna.

Alterum quod postulavimus praecipue ad eum attinet, qui ipsius Lucilii reliquias non tantum colligere instituit et in suum quasque librum quovis ordine distribuere, sed etiam momento quodam et argumento ipsorum dispensare atque disponere. Tametsi enim notissimum illud Juvenalis:

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,

Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli,

recte creditur etiam in satiras Lucilii cadere: sunt tamen saepius uno e libro reservati non pauci versus, in quibus verisimile est (nam quod omnino sit certum raro ex his »disiectis membris« efficitur) poetam de eadem re vel homine disputasse. Neque res per se incredibilis est, cum de plu-

ribus libris non decem aut viginti sed septuaginta et centum versus aut versuum partes supersint, eorum nonnullos in integris olim voluminibus sibi confinem tenuisse locum et parvo aut etiam nullo intervallo disjunctos fuisse. In hanc rem igitur diligenter inquirendum puto, non quo quasi scriptum quoddam solidum ex decerptis his et dispersis flosculis refici possit, sed ut fragmenta quae manifesto vel probabiliter ad unam rem spectant, praesertim cum metri quoque societate conjuncta sint, in collectione nostra vicinitate loci comprehendantur sibi que invicem lumen quantulumcunque est afferant. Cujus rei investigatio mirum quantum et utilitatis et jucunditatis fructum praebet, licet etiam illud concedam esse reliqua permulta, e quibus sententiae vel argumenti totius e qua deprompta sunt satirae nihil omnino possit elici. Istud non fugit Dousam qui *centones Lucilianos* a patre, ut ait, concinnatos editioni suae adjiceret: attamen ipse (de Jani ludicro conatu nihil est quod dicam) hac quoque muneris sui parte perfunctus est parum prospere.

Quae cum ita sint, quid ego exiliores et plane subitaneas commemorem notas, quibus Dousa conatus est has reliquias fruentes nobis et percipiendas reddere? Mihi in libro ejus multum volutato mirum non est, quod illud Baelii iudicium quisquis eum paullo accuratius inspexit paene ad verbum repetiit: 7) verum mirari subit, nondum existisse eum, qui quod tanto opere desiderabatur enixe susceptum exsecutus sit usque ad extremum. 8) Quod quibus de cau-

7) Fabricius l. m., J. N. Funccius de Adol. ling. Lat. p. 91, Reuvens Coll. litt. (Lugd. Bat. 1815) c. 3 p. 15.

8) Praeter Josephum Isacum, quem fragmenta Lucilii collegisse auctor est Paulus Colomesius (v. Fabric. l. m.), nemo post Dousam in cunctis illis et corrigendis et explanandis operam posuit: nam Achaintre in sua Persii editione, cui illa subjunxit, nihil amplius egit, quam ut quae apud Dousam leguntur typis denuo exscribenda curaret, omissis tamen annotationibus ejus omnibus. At passim vel emendando vel explicando tetigerunt haec fragmenta complures, velut Jan. Guilielmus libris Verisimilium, Turnebus Adversariis et alias, Lipsius

sis factum sit dictu non est difficile, sed nihil hic attinet disputare. Unum jam restat, ut de iis, quae hisce insequentibus plagulis cum eruditis communico, pauca praemittam. Ipse enim ut primum ingressus sum Lucilii fragmenta recensere et explicare denuo, statim intellexi etiam vitam ejus recognoscendam esse: quippe Dousa perquam breviter et leviter eam perstrinxit atque multa silentio transiit: Baelius autem omnia ad liquidum perducere fortasse ne voluit quidem. Constitucham vero omnem de vita commentationem in duas partes dividere, quarum in priore de rebus tanquam exterioribus ageretur, ut de nomine, de aetate, de patria, de genere cet., in altera exponeretur de scriptis, de loquendi genere et de aliis rebus, quae ad comprehendendam propriam hujus poetae indolem ac rationem pertinerent. Atque superioris partis tria capita jam profligata ac paene absoluta exhibeo: quartum in posteriore aliquando ponendum erit. Quae etiamsi omnia ita comparata intelligo, ut in varias reprehensiones incurrere possint, maxime tamen vereor, ne quis quae de nomine Lucilii disputavi copiosius et fusius disputata dicat quam hic locus permittat, nec tamen non esse metuendum mihi, ne quando futurus sit grammaticus, qui uberiore et subtiliore doctrina instructus sententiam meam paucis refutet atque evertat. Sic judicanti nihil habeo respondere nisi hoc, ut tum cum hoc acciderit etiam illud lubenter me concessurum esse profitear. Similiter vero de iis quae capite secundo de Lucilii aetate disseruntur animus praesagit futuros qui me acta egisse incusent: nempe id ipsum quod tam studiose comprobare voluerim in vulgari-

variis et antiquis Lectt. et epist. Quaest. Palmerius Spicilegiis, alii quorum scripta Lampade Gruteri continentur, praeterea teste Fabricio l. m. Janus Rutgersius Lectt. Venusinis et Ryckius centuria nova Epistolarum, quibus nuper accessit libro quem supra commemoravi C. J. C. Reuvens. Multa eorum tentata ab eruditis sunt etiam in aliorum poetarum editionibus, imprimis Plauti, Terentii, Lucretii.

bus litterarum Latinarum enarrationibus poni atque doceri solere nulla adjecta dubitatione aut alienae dubitationis notitia. Sed istis non est quod me purgem: hoc unum timeo, ne peritiores rerum et intelligentiores me egisse verbosius quam verius censeant. Tertio de urbe Lucilii patria quaeritur: quo in loco etsi adversarium nullum habui nisi illos nescio quos, qui Funccio de Adol. linguae Lat. p. 89 annotante Lucilium Canusinum fecerunt (mirifico errore, ni fallor, propter versum in Horatii Sat. I, 10, 30): tamen quoniam mihi propositum est nihil in hac vita exponere nisi indicato cujusque rei auctore ac fonte, omnia quae vulgo credebantur a principio retractanda et suo quaeque reddenda testi erant. Quod si illis quos supra significavi distincte et apte perfecisse videbor, me id quod hoc capite expetii consecutum esse gaudebo. Reliqua se ipsa defendant.

---

I.

D e n o m i n e.

Praenomen Lucilio *Cajum* fuisse non est quod in dubium vocetur: ubicunque veteres apposito praenomine hujus poetae mentionem faciunt, sine ulla librorum discrepantia *Cajus* 1) appellatur, non *Lucius*, quemadmodum nonnulli arbitrati sunt. Quorum error inde videtur fluxisse, quod, cum plures commemorentur Lucilii, vel ab uno Cicerone, nonnemi eorum praenomen Lucio est.

Nomen ipsum modo per unam L litteram modo per duas scriptum invenimus: illud in vetustioribus libris saepe, hoc non ita diu usu increbuit. Utra scribendi ratio praestet quaestio est levis quidem ac minuta, ut videtur simili-

1) Cf. Cic. Orat. I, 16, 72. II, 6, 25. Acad. II, 32. Euseb. in Chron.

que in re visum est Oudendorpio ad Frontin. I, 5, 6: at haud negligenda neque ad judicandum prompta. Nec equidem veniam mihi petendam existimo, diligentius quam est hucusque factum disputaturo una de littera, utpote qui interiora velut sacri hujus adeuntibus (ut Quinctiliani de orthographia verbis utar) apparituram spero multam rerum subtilitatem.

Franciscus Dousa 2) nomen Lucilii per unam L scribi vult: quod utut est, ratio quam de hac sententia reddit levior est illa quidem nec omnino vera. Dicit autem »nomen Lucilii *semper* simplici L expressum esse in omnibus veteribus libris tam formis excusis quam manu exaratis Ciceronis, Horatii, Festi, Nonii et aliorum qui testimonia illius advocent.« 3) Quae res si ita se haberet, mirum sane esset quosdam magnos superiorum aetatum viros, velut Turnebum, Salmasium, Jos. Scaligerum, Lambinum, Mercерum in ed. Nonii, Cortium in Orthographia, alios solitos esse scribere *Lucillium*: quos doctos homines cave ne putes ita scripturos fuisse, si in libris calamo scriptis aliter ubique reperissent. Quid si etiam illud a vero abest, quod Dousa nunquam aliter (quam per unum L) in lapidibus priscis esse contendit? Certe in iis quorum inscriptiones nuper Orellius collegit aliis alio modo nomen hoc enotatum est, tum duplici L ut in 2244, 4225, tum simplici ut in 247, 2785, tum utraque ratione in 3461, qui lapis id ter exhibet.

2) In vita Lucilii fragmentis praemissa p. 183 Haverc.

3) Idem dicit, sed modestius, Cellarius in Orthogr. p. 279 ed. Harl. Dissidere tamen codices in scribendis nominibus quae in illius exeunt, vix opus est ut pluribus monstretur. V. Casaub. ad Suet. Gramm. c. 6. Heusing. ad Cic. Off. I, 11, 10. Drakenb. ad Liv. III, 9, 2. Krehl. ad Priscian. I p. 244. Editores plerique talem scripturae varietatem neglexisse videntur, et Garatonius ad Cic. Planc. 32, 77 — ubi, quoniam suis in codd. *Racilii* nomen per unum L exaratum sit, ita statim esse in omnibus *opinatur* — in hoc suo *opinor* frustra nos acquiescere jubet, cum istud geminata littera editum sit a Lambino et Graevio aliisque.

Quaquam negari non potest in plerisque monumentis litteram illam non esse duplicatam. 4)

Verum tamen ulterius progrediendum est. Nam non modo ex hac saxorum discrepantia, quae in aliis hujus generis nominibus multo major est quamque haud recte ita expeditas, ut imperitis eam lapicidis deberi dicas (accedit quod etiam a Graecis fere scribitur *Λουκιλλιος*, ut *Ποπιλλιος*, *Τουρπιλλιος*) sed ex eo quoque quod de Opilio Grammatico Suetonius c. 6 memoriae prodidit facile cognoscitur ipsos jam veteres Romanos in horum scriptione nominum sibi non constitisse. Neque id Dousam praeterisse videtur, qui ad stabilendam fidem eorum quae supra rettuli monet auctore Scaligero, »veteres haud aliter I productam quam EI diphthongum enunciare solitos ideoque *Luceilius* ab iis eadem ratione qua *Serveilius* scribi consuevisse, *Serveilius* autem reperiri in nummis non paucis.« id quod Garatonius ad Cic. Planc. c. 25 testificatur. At sicut nequaquam consequitur, quia sic *Serveilius* aliquoties inveniatur, idcirco etiam hanc scripturam *Luceilius* veram fuisse vel usitatam: 5) ita nihil inde proficitur ad refutandam L litterae geminationem, quod sic demum fieret, si — quod quidem a Niso Grammatico praecipiebatur — post longam vocalem consonans geminari non deberet. Etenim contraria apud Romanos in

4) Cf. ap. Orell. n. 1014, 2780, 3095, 3743, 3882, 4057, 4109, 4258, 4880.

5) Scio quidem, etiam Garatonium loco supra memorato similiter sensisse de nomine *Duillii*, cujus secundam syllabam per EI incisam fuisse putat in columna rostrata, cum in codd. vel *Duellius* vel *Duillius*, in Fastis Capitolinis *Duilius* sit. Sed ut concedam quod Heinrich, ad Cic. Re publ. I, init. vult, ab ipsius Ciceronis manu profectum esse *Duellium*, non tamen possum quin Osanno ad Appul. p. 134 adstipuler, cui *Duelios*, ut in cod. Vaticano Majus invenit, fuisse videtur scriptura antiquior. Ita verisimile est etiam in columna illa nomen scriptum fuisse, tum quia diu usitatissimi moris fuit semivocales non geminare (Quinct. I, 7, 14), tum eam ob rem quam exposuerunt Spalding, ad Quinct. I p. 76 et Heinrichs, ad Cic. Orat. III, 12, 46.

usu fuisse constat, atque ex Quintiliano (I, 7, 15) comperimus diphthongum istis duabus litteris non solum non esse expressam, quanquam pronuntiatione quiddam interfuisse inter EI et I ipse Lucilius testis est, sed ne I longum quidem ita semper distinctum a brevi: 6) adeo ut conjici possit ante Lucilium et ab ipsius aequalibus nunc I solum nunc EI esse sine certa aliqua lege positum. 7).

His enarratis apparet, ut puto, rem qua de agitur adhuc integram esse, nec fore opinor quenquam, qui Schneidero quod utrum rectius sit et in Lucilii nomine et in similium nonnullis in medio reliquit 8) verterit vitio. Quoniam autem aetatis est ususque nostri — magis aliquantum, nisi fallor, quam Romanorum, v. Cic. Orat. II, 27 — a capite quod velimus arcessere et unde omnia manent videre: meam de origine horum nominum sententiam ut potero brevissime exponam, ita quidem ut ea quemadmodum scribenda sint simul perspiciatur.

C. Sigonius et Onuphrius Panvinus, 9) qui de nominibus Romanorum scripserunt, ea quae in ilius desinunt alia aliter explicantes partim ducunt a verbo nativo quod exit in ilus, ut Rutilium a Rutilo, aut in ulus, ut Caecilium a Caeculo, aut in illus, ut Popillium a popillo, partim ab iis putant descendere quae in ius finiuntur, velut Lucilium a Lu-

6) V. C. L. Schneider. Gramm. Lat. I p. 63 et 68.

7) Hanc opinionem luculenter confirmant duo legis Thoriae fragmenta quae Sigonius (de antiq. j. Italiae II, 2) in tabulas aeneas incisa repperit in Petri Bembi Cardinalis Museo. Ratio scribendi in hac lege, quae lata est viro Lucilio a. U. 642, varia est admodum ac fluctuans: nam alias *populei Romanei*, *sei quis*, *agrei*, *locei*, *deicito*, *moincipieis*, alias *populi Romanei*, *siquae*, *agri*, *primus*, *sociis* legitur. I breve semel tantum per EI scriptum est, in hoc *nisei*. Idem modus scribendi desultorius in aliis quibusdam vocibus obtinetur.

8) Gr. Lat. I p. 408.

9) Graevii thes. Ant. R. II p. 1969, 2006. Panvinum dico cura Norisio. Cf. Th. Reines, in Sallengeri thes. I p. 573.

*cio* seu quod Sigonius addit a deminutivo-*Lucillo*, *Manilium* a *Manio*, *Metilium* a *Metio*, *Quinctilium* a *Quinctio* cct. Mira est autem hujusmodi varietas et quasi inconstantia, cujus illi docti linguam Romanam insimulant. Quos licet G. Vossius de Arte gramm. II, 17 secutus sit, eam tamen notationem non possum non improbare, atque minus etiam cum Ph. E. Huschkio 10) sentio, qui illorum nominum originem continuo ab his vult trahi quae sunt *lucus*, *manus*, *quintus*.

Enimvero manifestum est terminationem illam hasce duas in partes  $\bar{i}l - \bar{i}us$  disjungendam esse: quarum posteriorem frequentissime solam videmus suppeditare novis parandis vocibus. Quemadmodum enim ex ipsis radicibus fiunt *fluv - ius*, *gen - ius* et nemo non *sacerdot - ium* ducit a sacerdote, ita necesse est v. c. *patric - ius* proxime revocetur ad *patricum* 11) tanquam ad suum fontem et *edul - ium* ad *edule*, et sic porro *Servius* ad *servum*, *Quinctius* ad *quintum*, *Valerius* s. *Valesius* ad *Valesum* s. *Volesum*, *Claudius* ad *Clausum*. In his et similibus I penultima est vinculi instar, cujus ope terminatio ad stirpes adjungitur et quasi attextitur. Prior autem illarum partium, adsumptis ubi genus designaretur U, S litteris, itidem adhibita est ut copiam verborum auget: eaque modo  $\bar{i}lus$  apparet ut *Rutilus*, modo  $\bar{u}lus$  ut *Regulus*, alias  $\bar{i}llus$  ut *Camillus*, interdum  $\bar{u}llus$  ut *Catullus*. Quae cum ita sint, quis est qui credat *Quinctilium* et *Lucilium* et alia similia orta esse a *Quinctio* et *Lucio* vel a *quinto* et *luco*? Nimirum in medio jacent 12) illa quae modo dixi quaeque in libris quidem rarius occurrunt nobis, at tanto magis populo vigeant. Quid enim? quae nam est lingua, quae humano modo virium plus absumpserit

10) Anal. litt. ed. ab J. G. Huschkio p. 121.

11) Hoc etiam si non haberent Plautus et Varro, tamen fingi oporteret.

12) Suspicio in eadem sententia fuisse Priscianum p. 634 Putsch., sed obscurus locutus est.

quam satis est? Fateor fieri id posse in singulis quibusdam vocabulis, sed nequaquam in tanta verborum multitudine et tot firmæ perpetuaeque legis documentis, neque illud prius quam tum, cum propria cujusque formae eorum ratio sciri et persentiri ab omnibus desinebat.

Vocalis L litterae antecedens tantam varietatem subiit, ut omnes quinque hoc loco deprehendantur, e quibus alias alii populis 13) sed Romani in his de quibus disputatur nominibus I potissimum usurparunt, quae littera, cum in nonnullis U potius, in aliis E videretur sonare, in utramque partem alternabat. Omnium vero vocum, quarum in exitu L est aut LL, duo omnino genera esse existimo. Ad alterum ea refero sive substantiva sive adjectiva, quae in īlis terminantur ut facilis, in īlus ut nubilus, in illūs ut ovillus, suillus, in ūlus ut credulus, pendulus, figulus, cingulus, capulus: 14) quorum differentiam, quanta cernitur in syllaba extrema, nullam esse si ad remotiora linguae tempora spectas tum ex iis intelligitur quae Hartungius de Casibus p. 142 disseruit, tum sat multis comprobatur verbis quae utroque modo finiuntur, sicut imbecillis — imbecillus, sterilis — sterilus, dapsilis — dapsilus. 15) Hoc tamen animadvertere licet, ea quae I ante L habeant et a substantivis proficiuntur US in fine praeferre, quae autem a verbis, IS: sic

13) Apud Graecos frequentiores verborum fines hi videntur: ulos et alos, velut σωμύλος, στρογγύλος, ἀμαλός, ἀπαλός, δμαλός, rariore ιλος et ελος, quomodo δργήλος, κωτίλος, μύελος, ύελος. Etrusci per ā syllabam plerumque, interdum per ī fingeant. V. Odofr. Mueller. Etrusc. I p. 434. 440 et Gr. F. Grotefend. in Seebod. Archiv. f. Phil. u. Paedag. Juni 1829 p. 117. Similia in Osca lingua fuisse auctor est Festus v. famuli. Cf. Niebuhr. II p. 75 ed. tert.

14) Omnia haec proprie adjectiva esse, etiam figulus, capulus, ostendunt Cuper. observat. II, 9. Doederl. Synon. III, 11.

15) v. Voss: Etymol. Ruddim. I p. 164 n. 93. Stallb. Hartung. I, m. p. 145.

nubilus fit a nube, sed nubilus a nubendo. Radix quidem utrique vocabulo eadem.

Pertinent huc ea quoque, quae per EL a verbis, per AL a substantivis derivata sunt, qualia sunt *querella*, *medella*, *tutella*, 16) *genialis* et *fluvialis*, *venalis* et *frugalis* (nam quo alia modo fiat frugalitas? quod tamen non per jocum dico ut Quinctilianus I, 6, 17) et *tribunal*, et *janual*, et *fa-gutal* etc. In his memorabilis est manca terminatio, quae antiquitatem redolet quaque effectum videtur, ut sequerentur declinationem tertiam i. e. primigeniam: quippe significatio eorum talis est, ut verisimilius multo sit ea nunquam habuisse quam, ut alii volunt, progrediente tempore amisisse plenior positionem.

Ab hoc genere vocum, de quarum vi ac potestate hic exponere nihil ad rem facit, discernendae sunt illae, in quibus vis deminutiva inest ac littera liquida ubi I vel E praegreditur geminatur, ut *lapillus*, *tantillus*, *furcilla*, *catellus*: ubi vero U vel O antecedit, geminatio illius fere abest, ut *tantulus*, *furcula*, *catulus*, *malleolus*. Cujus discriminis causa in ipsarum vocalium aut tenuitate aut plenitudine sita est. V. Bopp. l. m.

His constitutis ad ea unde egressus sum redire licet. Nam sicut nemo dubitat quin *familia* et *exsilium* et reliqua hujusce modi a *famulo* et *exsule* et aliis quae similiter cadunt profecta sint, item fieri de iis consentaneum est quae in ilius sive ulius sive ellius desinunt. 17) Haec vero quae

16) Haec ita scribenda esse Majus et Heinrichus ad Cic. p. Scauro §. 25 p. 176 ed. Beier. docent. Cur ita? Causam mihi enudasse videtur Fr. Bopp. in Gramm. compar. (Berol. 1833) l p. 6 et 7.

17) Nihil inter se differre has tres terminationes, et vocalium E, I, U cognatio convincit et exempla qualia sunt *Amulius* et *Amillius* s. *Amilius*, *Pompulius* et *Pompilius*. Sic enim est in lapidibus variatum. Quidni igitur probetur nobis *Populius* et *populianus*? v. Heinrich. ad Cic. pro Tullio c. 16 et Huschk. Anal. litt. p. 121. C. Beieri explicatio, proposita ad eundem Cicerois

sunt omnia gentium Romanarum nomina atque adeo recte a nonnullis cum Graecorum patronymicis collata, prout aut a praenominibus aut a cognominibus ducta sunt, alia ad deminutorum genus 18) pertinent, alia ad alterum quo de prius dictum est. In illis e. c. haec numero: *Quintilius*, quod a *Quintillo* s. *Quintullo*, ut saepius in nummis et saxis est, natum existimo: quocirca Scaliger ad Euseb. Chron. p. 238 geminationem liquidae vero propiorem ait; adversabatur tamen scribendi consuetudo. Similis est ratio nominis *Sexilii*. *Attilius* s. *Attilius* a praenomine quod est *Attus*, sicut *Meilius* a *Metto* et *Marcilius* a *Marco*, quibus media interjecta sunt cognomina *Metellus* et *Marcellus*. Ab his si illa orta sint (quod pro certo non dicam), rectius ponentur in altero genere. Sed fortasse non distant a nomine *Popillii*, facto haud dubie a deminutivo quod a *Pupo* praenomine 19) ductum arbitror; nam primae syllabae mensuram nihil moror. Sic etiam *Duili* nomen originem traxisse videtur a praenomine quod pari intellectu atque puellarum *Secundilla* fuerit. *Lucillium* denique sive, ut magis in Romanorum consuetudine erat, *Lucilium* non dubito derivare a *Lucillo*, quod ipsum, quemadmodum ex inscriptionibus apparet, Imperatorum aetate nomen evasit gentile. Sed satis de his. Cum illud tantummodo hujus institutae quaestionis est, paucis explicare quo ex fonte et qua via nomina illa

locum, docta quidem et notabilis est, sed vereor ut sit recta et probabilis.

18) Ad haec igitur quod attinet vere judicarunt P. Nannius Miscell. V, 5 et Weichert. de Hostio poeta §. 2, qui in illis nominibus *ὑποκορισμα* quoddam deprehenderent. Quibus et illud largior, similitudinem quae cum deminutivis etiam alteri generi specie intercedat non in casu positam videri, sed fulciri atque augeri significationis quadam vicinia. Quae qualis sit sua sponte intelligitur, factumque ea reor, ut in vetere lingua septentrionali eadem positio nunc vim haberet deminutionis, nunc originem ab aliquo indicaret. V. Rask. Vejledning til det Islandske Sprog (Kjøbenhavn 1811) p. 161.

19) v. Hagenb. in Orell, Inscript I p. 474.

profluxerint, alius inquisituro suadeo animum advertat ad ea, quae commode hanc in rem observavit Niebuhrus I p. 420 ed. tert. Hoc tamen unum adjecerim. Cum in Latinis monumentis eae feminarum appellationes quae in illa vel ūa s. ulla excunt sint frequentissimae, hujusmodi autem nominibus pars magna eorum quae in illius desinunt ortum suum debeant, cumque Etruscorum nomina gentilia simili exitu fere a matrum nominibus 20) ducta sint: non inepta forsitan suspicio sit antiquis temporibus eundem nominandi morem apud Latinos populos obtinuisse ut apud Etruscos.

A cognominibus quae derivanda esse puto, eorum exempla haec sunt: *Aemilius*, nomen gentis quae auctore Festo ab Aemylo quodam appellata ferebatur: nec aliter Varronem L. L. p. 104 Bip. deicit loqui. *Aquilius* sive ut in Fastis est *Aquillius* ab aquilo colore i. e. a cognomine dictos narrat Festus. Idem *Caccilius* tradit ortos putari a Caeculo quodam: 21) quod utcumque se habet, nomen eorum ab eo quod est caeculus profectum patet. Colum. ap. Voss. Etym. Aliae autem gentes, ut *Romiliorum*, *Rutiliorum*, a populis quibusdam nomen accepisse videntur: 22) aliorum nominum origo est paullo obscurior, velut *Gargiliū* et *Carviliū*, quanquam horum stirpes pluribus diffusae sunt ramis, teste monte Gargano et Carvento oppido. Huc enim spectat quod Quinctilianus I, 4, 26 ait sic: gentes quoque ac loca et alia multa reperias inter nominum causas. Eas vero hoc loco perquirere nec attinet nec vacat, quare cetera quae huc pertineant missa facio. Illud admonemus tamen, sicut plura eorum quae ad gentilia illa nomina transitum quodammodo muniant jam in litterarum monumentis frustra quaerantur,

20) Indagavit et patefecit hanc rem ut minime sit dubia Odofr. Mueller I. supra notato.

21) v. Niebuhr. I p. 419.

22) v. Niebuhr. I p. 17, 79. 331 n. 765. Cf. Liv. VII, 5 et Fest. p. 161 Dac.

ita reperiri a quibus nihil porro derivatum videatur. Hujus generis sunt *Pulvillus*, *Regulus* s. *Regillus*, 23) *Catulus* s. *Catullus*, *Lentulus*, *Tibulus* 24) et *Tibullus*, *Fabullus*. Quae item ut cetera ejusdem terminationis cum nunquam sint nomina sed aut cognomina aut praenomina, 25) Niebuhrio accedo qui II p. 313 *Terentilli* nomen apud Liv. III, 9 improbat: recta enim ratio aut *Terentium* postulat, ut *Siginus* voluit, aut *Terentilium*, quomodo plures habent libri Mss.

His jam profligatis quaestio existit, cur Romani in his gentium nominibus, exceptis paucissimis, liquidam litteram non duplicarint. Nam si quis erit qui hoc dicat, scribenda esse per duas L quae a praenominibus descendant, reliqua autem per unam: fatebor equidem ita fieri oportuisse, sed cum alias, tum maxime in orthographia non semper id quod ratione praescribitur usu et consuetudine tenetur. Usus enim scribendi, qui antiquitus sic fuit, nulla ut littera consonans geminaretur, cum postea h. c. inde ab Ennii maximeque Sullae temporibus observaretur minus minusque, non est quod miremur variam dehinc existisse scribendi rationem. 26)

23) v. Drakenb. ad Liv. XXIV, 7, 12 et Orell. Inscr. I p. 474.

24) Si vera est scriptura apud Fulgentium p. 563 Merc.

25) In errore versatur Goettlingius, quod gentilia quoque nomina in illus et ellus exire contendit (v. Jahrb. f. wiss. Krit. Mai 1833. No. 88): nam *Ofellus* quod exempli loco affert non magis gentem designat quam *Catullus*, *Lentulus*, alia: id quod *Ofillius*, frequentissimum in lapidibus nomen, comprobatur. Neque Graecorum nomina *Χάριλλος* et *Πέριλλος*, quae recte dicit esse e *Χαρίλαος* et *Περίλαος* contracta, cum his ullo modo possunt comparari. Talia non differunt ab iis de quibus Buttmannus agit Gr. ampl. §. 36 n. 5, 3.

26) Cf. Schneider I p. 394 sqq. et 419. Niebuhr. I p. 153. De veterum pronuntiatione statuere aliquid vix liceat; jam Quinctiliano I, 7, 13 satis fuit haec breviter commonuisse: *fortasse* sicut scribebant (veteres), etiam ita loquebantur. Tamen crediderim, ut in aliis vocabulis, sic in his de quibus agitur antiquam scribendi consuetudinem servatam esse vel repugnantibus auribus, quibus illam non semper obtemperare ipse Cicero alicubi notavit; videlicet hoc pacto fieri potuit, ut lapidarii aurem magis quam oculum consulentes L litteram interdum bis inciderent.

Sed fuit altera quoque causa, qua ne usus sibi in omnibus his nominibus consentiret prohibitum est. Vere enim hoc mihi videor esse dicturus, tertiam a fine syllabam tum in iis quae in ilius finiuntur tum in aliis ut *família*, *consilium* natura brevem esse. 27) Cujus rei cum argumenta sint complura, 28) ipsa ista testor nomina quorum sat magna pars apud poetas in antepenultima corripitur: quod de his fere constat: *Aemilius*, *Pompilius*, *Quinctilius*, *Sextilius*, *Rupilius*, *Virgilius*. Contra est eadem syllaba producta in hisce: *Acilius*, *Atilius*, *Lucilius*, *Manilius*, *Rutilius*, *Servilius*, 29) quibus addam *Duilius* et *Publilius*, quae nomina in Fastis Capitolinis I grande habent.

27) Multae quidem hujus generis voces I ante L productum habent, ut *aedilis*, *aprilis*, *bovile*, *cubile*, *curulis*, *tribulis*. Verum ea cum omnia substantivis orta sint, per synaeresin facta esse puto, ita: aedilis ex *aedi-itis*, aprilis ex *apri-itis*, et sic U et I coaluerunt in postremis duobus. Nam uti *tribulis* a tribu, ita *curulis* rectius a curru trahitur quam a currendo, quomodo voluit Voss. Art. Gramm. II, 17, qua sententia in Etym. destitit. Item *cubile* non a cubando sed a cuba vel cubo natum arbitror. v. Forcell. h. v. Illis autem, quae, etsi a substantivis profecta, ut videtur, penultimam corripunt ut *humilis*, hoc ideo accidisse conjicio, quod antiquae sola L littera terminabantur: id enim tum superlativi tum obsoleta quaedam et recondita ostendunt, ut *simul*, *facul*, *difficul*, *famul* s. *famel*. *Gracilis* quoque pleniore olim positione caruisse videtur, pro quo Naevius *gracilens*, Ennius *cracens* s. *gracens* dicere maluit. Atque ita quidem omnino temporibus illis lingua jactabatur contrariaque et incondita edebat multa quae postmodo ad maturitatem quandam celeriter protracta exploderet rursus atque ejiceret. Pauca ut *exsul*, *consul*, *praesul*, de quorum origine ac propria potestate haud scio an Niebuhrius I p. 578 vere senserit, antiquam formam perpetuo sibi reservarunt. Nam neque cum eodem Niebuhrio I p. 92 et 77 faciam, qui Osca vocabula in Latino sermone amputata minutaque esse censet, neque cum Hartungio p. 196, qui eas quas modo protuli voces superiore aetate exisse plenius dicit: quippe illae velut amputationes et hebetationes quae litteris declinationi inservientibus inciderunt pro testibus habendae sunt ipsius linguae infantiae, nisi ex aliis Italiae dialectis manarunt quae sine dubio minus et fuerunt et manserunt politae.

28) V. Fr. Ritter Elem. Gr. Lat. p. 122, 106 extr. 162.

29) Ita cum in dimetiendis his nominibus inter se dissidere videamus poetas, ut v. c. *Rupilius* ab Horatio Sat. I, 7, 1 altera in syllaba corripitur, at *Rutilius*, nomen perquam simile, apud Ori-

Hujus discrepantiae causa cum in vocibus ipsis nulla videatur reperiri posse, ab iisdem poetis petenda est. Neque indaganti indicia desunt. Festus v. Solitaurilia Ennium primum a vetusta consuetudine recedentem consonantes geminasse prodit idque more Graccorum. Ista de vetusta consuetudine supra dictum est. At qualis mos ille fuit? Id grammatico latuisse suspicor, verum intelligit opinor is, qui Ennium inter Romanos primum fuisse recordatus erit, a quo epicum poema non vetusto illo Saturnio sed heroo versu contexeretur. Quo scilicet factum est ut poeta, magno cum brevium syllabarum numero impeditum sese angustisque terminis, ut ita dicam, conclusum animadverteret, consonantes geminaret ubicunque hoc modo syllabas sibi compararet longas. 30) Hic enim geminandi mos (nam prius vocales solum quae producerentur non nunquam duplicatas invenimus 31) non modo ab Homero, quem Ennius sibi omnino imitandum proposuisse videtur, ab aliisque poetis Graecis frequentatus erat, sed proprius fuit dialecti aeolicae: 32) quapropter Latini eum poterant facilius adsciscere.

Sic igitur alteram habes causam, unde cognoris cur Romani in aliis illorum nominum L duplex praetulerint, in

dium P. I, 3, 63 longum sit in eadem: quis est qui miretur etiam *Servilii* secundam syllabam apud illum Sat. II, 8. 21 brevem esse (quemadmodum *Pompilii* A. poet. 292 et *Quintilii* ibid. 438), quamvis productam ab aliis, ut a Juven. X, 319. Nempe Heindorfio qui illud nomen l. n. trisyllabum habet assentiri non possum, tum propter id quod Schneider I p. 286 ea de licentia proposuit, tum quia apud Ennium quoque secunda *Servilii* brevis est. Namque hujus poetae locum qui est ap. Gell. XII, 4, eam ipsam ob causam temere turbavit F. Dousa ad fr. Lucil. p. 183 Hav. Melius egit P. Merula qui in reliquis *Annalium* VI, 2 nomen *Caecilii* et XV, 13 *Aemilii* ita collocaret ut I ante L producendum esset, contra *Duilii* VII, 62 et *Atulii* VII, 74, ut eadem littera esset brevis.

30) Accuratius hanc rem persecutus est Ritter II, 4, qui p. 45 et 133 commoda geminationis exempla afert.

31) Schneider Gr. Lat. I p. 96. Cf. Niebuhr. I p. 103 n. 286.

32) Hartung. de Cas. p. 260 et qui ab eo laudatur Gregor. Cor. Acol. §. 11. Cf. Buttmann. Gr. ampl. §. 21 n. 2.

aliis geminatione ejus abstinerint. Sequebantur enim poetas quorum volumina vel pueri triverant. Cum tamen perpauca sunt nomina in quibus ubique fere L littera duplicabatur, ut *Acillius*, *Aquillius*, *Popillius*, in pluribus vero aut semper aut saepius deprehenditur L simplex: facile occurrit animo poetas, reverentes fortasse vetustam consuetudinem, I vocalem syllabae penultimae, ubi opus videretur, producere maluisse sine consonae insequentis repetitione. Id quoque fiebat more Graecorum. Utriusque autem rationis ab Latine loquentibus veniam hoc facilius impetraverint, quod multa nominum in ilius desinentium nisi tertia ab fine longa esset ex quatuor fuissent syllabis brevibus, sicut *ācilius*, *āquilius*, *ātīlius*, *Rūtīlius*. Ceterum me poetas in hac re nimium tribuere nemo judicabit, nisi qui sit inscius quantum eorum exemplum valeat ad constituendum vulgarem modum et loquendi et scribendi. Approbari id potest rebus luculentis, quarum unam in hac extrema disputatione pro testimonio admonuisse sat erit. *Allia*, ista invisissima Romanis vox, constanter in codd. una L littera scripta est, locupletissimo teste Niebuhrio II. n. 1177. Primus alteram propter metrum addidisse Virgilius dicitur. V. Serv. Aen. VII, 717. Iam vero geminatio illa recepta est usu vulgari, ut eam retinerent omnes fere poetae, nec aliter inveniatur in lapideis vel aeneis monumentis. Cf. Orell. Inscr. n. 643. Unus excipiendus est (non ego curo Cortii objurgationem) Lucanus qui VII, 633 primam syllabam rursus corripuit. Nec incredibile est eam in ore vetustorum Romanorum fuisse brevem. Quare Lucanus illud non praeter consuetudinem, ut Osanno placuit ad Appul. p. 29, sed potius secundum eam fecisse existimandus est. Apparet ex hoc, ni fallor, tum quam firmus atque obstinatus futurus fuisset antiquus scribendi usus, nisi poetae eum tentassent immutassentque, tum pronuntiationem veterum ab istiusmodi duplicatione non abhorruisse.

## II.

Lucilius quo anno natus quoque mortuus sit.

Eusebius in Chronicorum libro posteriore postquam ad Olymp. CLVIII a. 1. n. MDCCCLXIX *Lucilium poetam nasci* dixit, ad Olymp. CLXIX a. 2 n. MDCCCXIV haecce annotavit plura: *Cajus Lucilius satirarum scriptor Neapoli moritur ac publico funere effertur anno aetatis suae XLVI*: ex quibus cognoscitur natum Lucilium esse a. U. 606 [a. Chr. 148] Coss. Sp. Postumio Albino Magno L. Calpurnio Pisoni, ac mortuum a. U. 651 1) [a. Chr. 105] Coss. C. Mario III L. Aurelio Oreste. Ergo non ita diu vixit poeta. id quod vero ab Eusebio traditum esse vel hac una de causa crediderim, quod qui vitia civium suorum deridendo aspere acriterque vituperando sese impugnare et coercere student ii in contentionem videntur descendere adeo disparem, ut praematuram eis mortem si quis augeretur vereri is non debeat, ne falsus aliquando existat vates.

Sed hoc animi causa dictum sit. Illa vero, quae, sive Eusebius ipse sive Hieronymus scripsit, ex Suetonii de claris poetis libro deprompta esse puto, repugnare nonnullis visa sunt cum altero quodam Vellei testimonio. Is enim II, 9 Lucilium Numantino bello sub P. Africano equitem militavisse enarrat. Hoc autem bellum susceptum a Scipione est a. U. 620: quo Lucilium vix quindecim annos natum jam militiam sustinuisse veri sane dissimilius est quam ut viris doctis scrupulum non injecerit. Ex iis Jos. Scaliger, fidem Eusebio non derogans, hoc tantum monet, etiam praetextatos ante sumptam togam virilem militasse (nonnunquam) pa-

1) Bernhardy in Grundriss d. Röm. Litt. p. 288 annum 652 edidit, sed falso; nam extremus uterque annus, et 606 et 651 adnumerandus est ad efficiendum numerum sex et XL annorum: ni forte putabat Bernhardy, posteriore illius anni Olympiaci parte Lucilium extinctum esse, qua de re nihil constat.

trum contubernio: at Baelius in Lexico crit. et hist. istud in Lucilio accidisse negat, quia Vellejus militasse eum dixerit *equitem*, quod non temere objecit. Nam ut concedam — quod quidem hoc in loco nemini venisse in mentem video — Vellejum ut auctorem levem et non semper satis fidum parum accurate locutum esse: illud tamen, ut infra monstrabitur, ex liquido fonte hausisse videtur. Nec vero hoc solum vir ille acutissimus sed alterum quoque mortis tempus in dubio posuit, rationibus motus ita speciosis, ut alii velut Heindorf. ad Hor. Sat. II, 1, 34. O. Maur. Mueller ad Cic. Orat. I, 16, 72. Wuellner de Laevio poeta (Monast. 1850) p. 6 in ejus sententiam inducti sint. Cujus scilicet haec est summa, ut Lucilium et priorem, quam voluerit Chronicorum scriptor, et posteriorem aetate fuisse contendat.

At vero omnibus quae de Lucilii vita memoriae prodita sunt recognitis diligentius quam a Baelio factum est, nulla omnino de Eusebii fide relinquatur dubitatio. Quod ad nascendi tempus attinet (nam de moriundi post videro), nihil opus est statuere, prius quam a. 606 Lucilium natum fuisse, propterea quod usu apud Romanos non raro veniebat, ut adolescentes ante annum aetatis septimum decimum militiam capesserent: id quod ex compluribus veterum scriptorum locis intelligitur. Significat id Vegetius I, 4 his verbis: »si *antiqua consuetudo* 2) conservanda est, *incipientem pubertatem* ad delectum cogendam nullus ignorat; non enim tantum celerius sed etiam perfectius imbibuntur quae discuntur a pueris.“ Cf. id. III, 10. Puberes autem teste Varrone ap. Censorin. c. 14 ii fere habebantur, qui annum quintum decimum compleverant. Cf. Niebuhr. I p. 490 ed. tert. Quare non est quod miremur Virgilium eo ipso anno togam virilem sumpsisse 3) vel Hadrianum quinto et decimo aetatis anno, ut

2) Ad illam consuetudinem spectasse Horatius videtur Carm. III, 2, 2. v. Janius in Argum. et qui a Bothio excitatur Torrentius.

3) v. Scalig. animadv. in Euseb. p. 156 et Car. Ruacus in Vita

Spartianus c. 2 scribit, militiam iniisse: quippe quod etiam inscriptionibus quibusdam confirmetur, qualis haec est a Stevechio ad Veget. I, 7 prolata: *militavit. an. X. vixit. ann. XXXV.* et altera Scriverii ad eundem locum quae sic se habet: *Dis. Man. A. Titio. Rufo. militi. urbaniciano. coh. XI. stip. V. vixit. ann. XX. cett.* Nec ejusmodi exempla deficiunt, in quibus aliquis inde a sexto decimo anno militasse dicitur. Scriver. l. c. et Orell. insc. 3504. Quin etiam impuberes (i. e. qui nondum ad annum XVII pervenerant) olim non milites tantum sed tribunos fuisse notavit Stevech. l. c. At nihil moror posterioris fortasse aetatis morem corruptum: ipse Livius XXV, 5 auctor est delectum ex iis quoque habitum, qui nondum essent aetate militari. Duk. ad Liv. XXVI, 25, 11. Et tota denique res, ut arbitror, eo conficitur, quod litteris mandatum est C. Gracchum, illum plebis tribunum, a. U. 630 legem tulisse, ne quis infra XVII aetatis annum ad militiam cogeretur: unde apparet, quemadmodum et Sigonius de antiquo jure civ. Rom. I, 15 et P. Manutius de legg. c. 12 viderunt, antea ad militiam interdum coactos fuisse qui istum more constitutum annum nondum agerent. Quod autem iidem viri docti adjiciunt hoc extra ordinem non factum esse nisi difficillimis rei publicae temporibus atque exhausta cladibus civitate, ut secundo punico bello: id licet subdubitare, quoniam, si ita res fuisset, nulla idonea reperiretur causa, cur Gracchus talem legem rogasset. Atqui largiamur hoc illis quibuscum Dukerus l. c. consentit: idem fere in hoc de quo disputo tempus cadere certum est. Sic enim de Numantino bello Appianus VI, 84: *ὁ Σκιπίων ἀθθεις ὑπατεύων ἐς Νομαντίαν ἠπείγετο. στρατίαν δ' ἐκ καταλόγου μὲν οὐκ ἔλαβεν, πολλῶν τε πολέμων ὄντων καὶ πολλῶν ἀνδρῶν ἐν Ἰβηρίᾳ. ἐθελοντὰς δὲ τινὰς ἐκ τε πόλεων καὶ βασιλείων ἐς χάριν ἰδίαν* Virgil. ad a. U. 699. Cf. Plin. N. H. VII, c. 28 et Harduinus ad h. l.

πεμφθέντας ἀντὶ, συγχωρούσης τῆς βουλῆς, ἐπηγάγειο· καὶ πελάτας ἐκ Ῥώμης καὶ φίλους πεντακοσίους; οὐς ἐς ἴλην καταλέξας ἐκάλει φίλων ἴλην. πάντας δὲ ἐς τετρακισχιλίους γενομένους παραδούς ἄγειν ἀδελφιδῶ, σὺν ὀλίγοις αὐτὸς προεξώρμησε κ. τ. λ. 4)

In illa amicorum turma equidem suspicor Lucillum quoque fuisse, etiamsi tum temporis non plus quindecim annos natum, praesertim cum ipso duce Scipione uteretur familiarissime. Schol. Cruq. ad Hor. Sat. II, 1, 73. Is vero tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinae et auctor et admirator erat, ut Polybium Panaetiumque 5) praecellentes ingenio viros domi militiaeque secum haberet. 6) Neque tamen hi soli comitabantur eum: alios quoque praecclaros in

4) Paene idem bello punico secundo accidisse Scipioni majori fertur. Is quoque ut delectum haberet non impetravit neque, ut ait Livius, magnopere tetendit, tenuit autem ut voluntarios sibi ducere milites liceret; e quibus trecentos juvenes florentes aetate et virium robore ut circa se haberet elegit eosque totidem Siculis, et genere et fortuna principibus ideoque militiam eam tanquam gravem et duram detrectantibus, equites substituit. Liv. XXVIII, 45 et XXIX, 1. Haec rem respexisse videtur Festus s. v. coh. praetoria, ubi sic ait: „Scipio Africanus *primus* fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent et cetero munere militiae vacarent et sesquiplext stipendium acciperent.“ In his quod ita fecisse Scipio *primus* perhibetur, id ad vacationem duntaxat et ad auctum stipendium pertinet. Nam et ante illum, licet non in istas stipendii aut vacationis leges — quantum quidem sciri potest — Postumius dictator a. U. 258 *delectam manum praesidii causa circa se habuisse dicitur*. Liv. II, 20. Quin etiam Romulus, eodem auctore Livio I, 15, trecentos armatos habuit ad custodiam corporis: qua de re v. Niebuhr. I, 259. De simili instituto Macedonum v. Loecen. ad Curt. VI, 7, 17 et Ern. exc. XV ad Suet. Tib. 46.

5) Panaetius ita in satiris Lucilii commemoratur, ut ad eum totum librum vel satiram quandam scriptam fuisse opiner. Versus quos dico a Nonio adservati hi sunt (libri XI. fr. 3 ap. D.):

— Cotta senex Crassi pater hujus *paneci*

Magnus fuit trico nummariu', solvere nulli

Lentus —

Ita quidem in codd. scriptum reperit Mercerus, sed non dubito cum Dousa reponere: *Panaeti*.

6) Haec sunt verba Velleji I, 13, quem unum ex multis testem hujus rei produco.

litteris homines ejus in exercitu fuisse compertum est. Gellius enim II, 13 sub eo dicit tribunum militum ad Numantiam fuisse C. Sempronium Asellionem, quem Dionysius, I, 11 ἐν τοῖς λογιωτάτοις τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων numerat. Cf. Gell. V, 18. At quod etiam P. Rutilius Rufus, is qui consul fuit cum Cn. Manlio a. U. 649 et quem Vellejus II, 13 virum non saeculi sui sed omnis aevi optimum praedicat, adolescentulus Scipioni ad Numantiam fuit acceptissimus, 7) id magno argumento est singularem hunc imperatorem non viros modo virtutis et sapientiae gloria praestantes complexum esse, verum etiam juvenes summa spe et animi et ingenii praeditos in amicitiam suam recepisse. 8)

Itaque nemo mirabitur conjecturam illam 9) factam a me

7) v. Cic. de Re publ. I, 11 et Ellendt prolegg. ad Cic. Brut. p. 53.

8) Iterum ut similia conferamus ad superiorem Scipionem recurrere liceat. Hunc item, ut Aemilianum, doctorum consuetudine delectatum esse cum alii tradidere, tum singulari poematio scite exposuit Claudian. de cons. Stilich. III praef. Ex eo demum didicimus Ennium imperante Scipione in Hispania et Africa meruisse, ubique lateri illius haerentem.

9) Animadverto nec non miror in eandem opinionem incidisse et Dousam ad libr. XXVI fr. 66 et Mercerum ad Nou. p. 17. Hic enim in commentario p. 648: *qui rescribebant, inquit, Iberum, meminere fuisse in Iberia Lucilium in cohorte Praetoria, sed neque id hoc libro scriptum* cett. Illud *Iberum* voluit J. Lipsius, probante Dousa qui haec adjungit: *nam Lucilius in Hispaniam cum Praetore profectus. Sed ex nullo fragmentorum, quae quidem Dousa congescit, id potest certo colligi. An liquido dictum existimes in hisce vv. (XI, 4):*

Praetor nosier adhuc quam spurcu'st ore, quod omnes

Extra castra ut stercu' foras ejecit ad unum?

an in duobus quos supra (not. e) attuli, quibuscum conjungendum ejusdem libri fr. 11:

Nec mihi amatore hoc opu' nec tricone vadato,  
quia nimirum Colta iste idem videatur esse quem Cic. Brut. 36 praetorium nuncupet? Omnia haec et similia adeo sunt interrupta et obscura, ut quomodo accipi debeant difficile sit dictu. Dixeris paullo certius, si ad verba tantummodo spectas, Lucilium in Hispania Quaestori cuidam contubernalem fuisse: ita enim poeta XIV. 3:

Publiu' Pavu' mihi Tuditanus Quaestor ibera

In terra fuit, lucifugus, nebulo, id genu' sane

modo ex variis Vellei, Appiani, Scholiastae Cruquiani testimoniis valde mihi arridere atque negare me, ullum de militari Lucilii pueritia ambigendi locum esse. Quid enim? Quod alios ignobiles fecisse exploratum est, ut quamvis peradolescentes, tamen ut primum habiles fuere ad ferenda arma, aut equo mererent aut pedibus, idne juveni haud obscuris natalibus et magna ingenii suavitate non licuisse? Atque familiaritas illa, qua Scipio et Lucilius conjuncti erant, tanta fuit, ut eam jam ante bellum Numantinum orsam esse hoc facilius nobis persuadeamus, quod Scipio quattuor annis post occisus est.

Attamen haec ipsa res praeter Baesium movit etiam Fr. Wuellnerum l. c. p. 6, ut judicaret poetam prius natum esse quam anno 606. Allatis enim verbis Scholiastae Cruq. ad l. c., quibus et Scipio et Laelius tam familiares tamque Lucilio amici fuisse narrantur, » ut quodam tempore Laelio circum lectos triclinii fugienti hic superveniens eum obtorta mappa quasi feriturus sequeretur: « Wuellner, *quis*, inquit, *putet Scipionem et Laelium, quanquam candido ingenio viros et hilari, cum juvene paene puero ita ludere solitos esse?* — Ego me confiteor putare facileque illud ut credam adduci, cum quod res per se est credibilis, tum quia Crassus apud Cic. Orat. II, 6 ex socero suo Q. Scaevola se audisse ait Laelium et Scipionem, eum rus ex urbe tanquam e vinculis evolavissent, *incredibiliter consuesse repuerascere* conchasque et umbilicos ad Cajetam et ad Laurentum legere et *ad omnem animi remissionem ludumque descendere*. Cf. Hor. Sat. II, 1, 73. Bene igitur id quidem vir doctus mittit, at subjungit statim; *nonne ipse Horatii locus* (Sat. II, 1, 62 et 9 seq.) *satis indicat Lucilium, quo tempore Scipione et Laelio*

quibuscum cf. XII, 1 et XXX, 66. Sed ne hoc quidem pro certo affirmem: quanquam utrumque simul defendi potest. Sequor tamen Dousae et Merceri sententiam, quia, sicut illos Scipionis majoris equites trecentos, ita etiam hanc amicorum turmam dictam esse cohortem praetoriam arbitror.

*tam familiariter uteretur, magnam gloriam jam adeptum esse multisque fuisse metuendum? Ac sales quidem et satis acerbitatis in deridendis hominibus adolescenti viginti annis minori fuisse facile concesseris: at vero tantam ei sapientiam fuisse, ut in insectando modum teneret Scipionique et Laelio posset adeo probari, hoc nemo facile concedet.* His possumus sic occurrere. Primum haud nihil ambigam, num Horatius temporum ordinem diligenter tenuerit et non retulerit ad tempus superius quae a Lucilio maxima ex parte scripta sunt Laelio quidem superstite sed mortuo Scipione. Quo concesso etsi negari non potest Lucilium satiras incepisse scribere ante annum aetatis vigesimum: at in eo tamen ipso nihil est quod offendat aut verisimile non sit. Quis enim est qui non facile credat, jam a primo iuventae flore illum magna fuisse alacritate ad illudendum »quisquis erat dignus describi.« Certe sapientia qua Horatius eum v. 70 exornat ejusmodi est, ut eam nemo dubitet attribuere incunanti aetati, cujus fere ipsius est fervido animo in malos invehi et »detrahere pellem, nitidus qua quisque per ora cedat, introrsum turpis.« Sed alius prorsus generis est sapientia, quam Wuellner significat quamque non impertiam Lucilio. Quaerendum est enim, modumne insectandi semper retinuerit: illi quidem viri, Scipionem dico et Laelium, in quibus vera et aemabilis fuit virtus et qui eum magno opere dilexissent videntur, procliviter ignoverint juveni et ubertate ingenii et gratis lepidisque moribus commendato; at tanto minus ceteri. qua de re pluribus disseram alio loco.

Postremo non hic praeteream quod fugit et Baesium et Wuellnerum. Licuit enim iis, quo sententiam suam magis probarent, excitare Macrobius, qui II, 2 C. Titium, suasorem legis Fanniae a. U. 595 latae, *virum aetatis Lucilianae* nominat. Verum hoc per se solum ad denegandam Eusebio fidem parum valere patet, praesertim cum idem Titius — non enim ab illo differre videtur — ita commemoretur a

Cicerone Brut. c. 45, ut existimandus sit maxime floruisse saeculo insequenti.

Jam vero tollenda est altera Baelii dubitatio, quam praecipue Horatii interpretes, ut Dacerius, Sanado, Heindorfius, assensu suo exceperunt. Animadvertit enim ille, et primus quidem quod sciam, ad id quod scripto Eusebius mandasset Gellii quosdam locos atque Macrobbii non congruere: quorum in loco priore (Gell. II, 24) cum Lucilius legis Liciniae sumptuariae meminisse diceretur, ea autem lata esset circa annum 656, poetam patere diutius vixisse quam Eusebius tradidisset: quam etiam ob rem cur idem ab Horatio Sat. II, 1, 34 *senex* sit appellatus, quaeri non amplius debere.

At primo oportuit Baelium curiosius inquirere, quo anno lex illa Licinia rogaretur. De quo cum doctos homines etiam nunc in errore versari videam, rem paullo longius repeti necesse est. Macrobbius II, 15 de legg. sumptuariis ita fere exponit: *prima omnium de coenis legum Orchia fuit, quam tulit C. Orchius trib. pl. de senatus sententia, tertio anno quam Cato censor fuerat.* Is censor fuit a. U. 570, ergo adnumeratis annis extremis lex lata a. 572, non 575, ut Bach. hist. jur. II, 2. §. 58 voluit. Porro sic ille: *post annum XXII. Fannia lex lata est anno post Romam conditam secundum Gellii opinionem quingentesimo nonagesimo secundo.* h. e. anno 593 Varron., Coss. M. Valerio Messala C. Fannio Strabone. Fuit igitur lex consularis. 10)

10) Idem statuerunt praeter Ant. Augustin. de legg. et Pighium in Annal. tum Bachius hist. jur. II, 2. §. 43 tum Abr. Boxmannus de legg. sumpt. (Lugd. Bat. 1816) p. 39: nisi quod hic, secum ipse pugnans, p. 37 ex Macrobbio profert annum 588, quam scripturam ego in edd. Camerarii et Hier. Vulpii inveni. Sed rectiorem alteram esse, quam sequitur Boxm. posteriore loco, testis est Plinius N. H. X, 50, ubi haec sunt: *lege C. Fannii Cos. XI annis ante tertium punicum bellum.* Quod cum indictum esse constet a. 604, optime hic numerus (593) convenit, qui quam facile potuerit in illum abire, in oculos incurrit. Ceterum eundem numerum deservit tum Gellius tum Sammonicus Serenus l. m.

*Fanniam post annos decem et octo lex Didia consecuta est.* Consentiens cum Ant. Augustino de legg. et cum Bachio l. d. §. 47 Abr. Boxmannus hanc latam esse autumat a. 611 a quodam forte tribuno plebis. Et consularis quidem non est, sed nihil impedit, quominus praetoriam habeamus, idque de causa infra explicanda. *Deinde Licinia lex*, inquit Macrobius, *lata est a. P. Licinio Crasso Divite*, cujus, uti Gellius l. m. addit, *Lucilius quoque (praeter Laevium poetam) meminit in his verbis: Legem vitemus Licini.* Hic igitur quoniam a neutro adjicitur quem ea in annum inciderit, atque Licinius ille idem haud dubie est qui a. U. 657 consul fuit, Baelius hanc legem item ut Fanniam esse consularem sibi persuasit, inductus in eam opinionem fortasse a Manutio, qui de legg. c. 18 sumptuarias leges praeter Orchiam omnes nuncupavit consulares. Qua in eadem sententia est Heinecius hist. jur. I. §. 100, adeo ut non sit mirandum, Pighium qui legem illam in annum 644 retulerit a Bachio l. d. §. 67 not. erroris argui, propterea quod id fecerit *sine ullo argumento*: quam ob causam ipse alios qui a. 657 posuerint sequi malit. Quasi vero isti egissent ex meliore jure. Huic tamen accessere Boxmann. p. 44. Creuzer Antiqq. Rom. §. 285. Weichert. de Laevio poeta §. 7.

Verum enim vero cum neque Orchia neque Didia leges sint consulares et Sammonicus Serenus ap. Macrobium alias plerasque excepta Fannia a tribunis aut a praetoribus rogatas pronunciet, quid si nos in contrariam partem argumentamur hoc modo: quandoquidem Eusebio auctore vita Lucilius decesserit anno aetatis suae XLVI i. e. a. U. 651, idem vero teste Gellio in satiris suis mentionem de lege Licinia fecerit, consequi inde, eam non anno 657 latam esse, sed tredecim ante annos a Crasso *tribuno plebis* i. e. octo ante Lucilii obitum.

Haec ratio altero quodam argumento firmari potest. M. Antonius, orator ille qui cum L. Valerio Flacco a. 657 cen-

sor fuit, M. Duronium sumptuariae legis tollendae in tribunatu auctorem senatu movit, quapropter media ab eodem censura reus de ambitu factus est. Ellendt, prolegg. ad Cic. Brut. p. 64. At quam Duronius abrogavisset legem fuisse Liciniam recte existimavit Boxmann. p. 48: utpote qua in ferenda, *exolescente metu antiquioris*, quaesitam Macrobius ait novae legis auctoritatem quaeque idem fere quod Fannia sanxit. Itaque cum Duronius istam potestatem gereret a. 655, lex illa sit ante hunc annum lata necesse est. Valer. Max. II, 9, 5. p. 135 ed. Kapp.

Non denique negligendum est tertium testimonium, a Plinio N. H. 36, 61 redditum his verbis: *frequentata pavimenta ante Cimbricum magna gratia animorum indicio est ille Lucilianus versus* cett. ex quibus vitam Lucilii non multum ultra belli Cimbrici tempora processisse perspicuum est. 11)

Sic tandem stare arbitror auctoritatem Eusebii, sed reliquum est, ut videamus quid sibi Flaccus isto *senis* nomine voluerit. Verba ejus sunt haecce (Sat. II, 1, 30—34):

Ille (Lucil.) velut fidis arcana sodalibus olim

Credebat libris, neque si male gesserat (sic) unquam

Decurrens alio, neque si bene: quo fit ut omnis

Votiva pateat veluti descripta tabella

Vita *senis*.

Qua de appellatione interpretes meo quidem iudicio in summa opinionum perversitate versantur. Discedunt autem om-

11) Rursus hoc loco adversarium habemus Wuellnerum, qui, quoniam a Sammonico leges sumptuarias aut praetores aut tribuni aut consules tulisse perhibeantur, in prioribus tamen nulla sit a praetore aliquo rogata, l. d. p. 7 iudicat Liciniam Crasso praetori tribuendam adscribendamque anno 650. Verum supra jam monui, nihil ob stare quin Didiam legem praetoriam numeremus: deinde suspicio haud procul abest, Sammonicum illa de legibus scribentem forsitan de aliis cogitasse et prioribus Orchia et Cornelia posterioribus. V. Boxm. p. 34 et 51. Omnino autem satius duco ac tutius, certis et dilucidis credere Eusebii verbis ac, si tamen acciderit, cum Pighio errare, quam conjectandi studio indulgere et captare nubes.

nes fere duas in partes. Alterius sententiae auctor est Cruquius, qui se conjectare ait Lucilium ab Horatio senem denominari ad illam Servii Tullii annorum rationem, qua Gellius X, 28 ex Tuberone scripserit Romanos ab eo ad annum quadragesimum sextum *juniores* supraque eum *seniores* appellatos fuisse. Quam in sententiam abduci se passi sunt et Torrentius, etsi is alio nescio jam quo loco aliter sensit, et Fr. Dousa (in vit. Lucil. fragm. praemissa p. 185 ed. Haverc.). Est tamen — ut mittam quod illos praeteriit, non *seniorem* sed *senem* hic dici Lucilium, cf. Nieb. I p. 492 — ista explicatio ejusmodi, vix ut confutare eam operae pretium videatur: neque intelligo equidem, qui Serviana civium descriptio hoc in poetico scribendi genere habere locum possit, nisi tu forte Horatium nos edocere voluisse existimas Antiquitates Romanas. — Altera interpretatio Baclii est, probata iis quos supra dixi. Hi nomen *senis* ad Lucilii aetatem proveciorem referentes gravis Eusebium erroris insimulant, quin Heindorfius propriam vocis vim longe aptiorem atque elegantiorum esse autumat, quia prudentia quae in senibus vigeat satirisque a Lucilio palam facta sit commode hoc vocabulo designetur. 12)

At quoniam supra a me demonstratum est, idque ut puto ad persuadendum apposite, quo jure fides Eusebio derogaretur, hanc quoque sententiam falsam duco nec non alienam, quia isti elegantiae ita demum hic locus erat, si Lucilius nisi senex satiras non conscripsisset. 13)

12) Tali quidem prudentia, multo rerum usu atque labore inventa, sese praeditum ostendere voluit Hannibal (ap. Liv. XXX, 30), senem se nuncupans, quanquam id temporis XLIV tantum annos natum. Sed paullo difficilius ad excusandum videtur esse illud Taciti imperatoris (ap. Vopisc. c. 8), cujus oratiuncula ad milites habita in hunc modum incipit: *Et Trajanus ad imperium senex venit*. Hic enim, ut Dio testificatur, Hannibale apud Livium orante major natu non fuit.

13) In tertiam opinionem ab utraque illarum diversam incidit Casaubonus ad Pers. Sat. I, 124. Nam is senem ab Horatio censet Lucilium non propter aetatem vocari, sed propter gravitatem argumenti in quo se exercuerit. Eique adstipulatus est Wuellner p. 5.

His igitur repudiatis, expromendum mihi quid ipse sentiam. Ac multo quidem latius manare, quam vulgo creditur, illius de quo disputo vocabuli usum ac posestatem, tametsi locis non paucis probari potest, a multis ignorari videtur. Nam non is solus qui extremam vitae aetatem attingerat senex a Romanis vel senior dicebatur, sed etiam qui vixerat tempore superiore et aut modo aut pridem vitam hanc reliquerat, ita ut vox nihil interdum valeret aliud nisi quod proprie *antiquus* significat aut *priscus*. V. Cic. Brut. c. 7 et 10 de Orat. III, 59. Atque hoc ita esse non quidem fugit C. Zellium (ad Hor. epist. II, 1, 56); sed res subtilius excutienda est. Adjuncta est enim illi verbo in multis locis quaedam honoris significatio, ut in hoc Tulliano Legg. II, 4, 9: *quae vis non modo senior est quam aetas populorum et civitatum, sed aequalis illius coelum atque terras tuentis et regentis Dei*. Nec aliter intelligendus est Cicero in Bruto c. 43: *exstat in eam legem senior, ut ita dicam, quam illa aetas ferebat, oratio*. Namque *aetas* non spectat ad adolescentiam Crassi, sed ad illud tempus quo dicendi Latine prima maturitas exstiterat, et *senior* oratio dicitur, quod ita erat composita atque ornata, ut potius tum videretur scripta esse, cum eloquentia maxime vigeat. Ellendt. ad Cic. Brut. p. 195.

Itaque recte vidit C. Barthius, ad Stat. Silv. I, 2, 253 haec annotans: *summae auctoritatis scriptores aut alioquin clari homines a poetis senum nomine honorantur*. Cf. Jer. Markland. ad Stat. Silv. I, 100 et Drakenb. ad Sil. Ital. I, 654. Honorem vero qui isto modo declaretur unde putes venisse? A senectute, ad quam omnes illi homines clari ne pervenerunt quidem, profectus esse non potest, quemadmodum voluit Doederl. Synonym. t. IV p. 90: imo hac ex

Sed falsum reor utrumque. Etenim hoc si verum esset, non perspiceretur, nisi idem in omnem poesin valeret, cur Pacuvius et Attius alique nominati essent senes. Hor. Sat. I, 10, 67. Epist. II, 1, 56.

causa, nisi animus me fallit, quod antiqua tempora quibus illi florebant venerabiliora atque augustiora ducebantur. Ita enimvero fieri solet, ut a posteris priorum aetatum et res et homines cum observantia quadam colantur. 14) Vetustati autem adnumerare Lucilium tanto Horatio magis licuit, quanto ille et moribus et dicendi genere ab aetate ipsius erat remotior, quantoque magis universa res publica ac litterarum conditio post decessum Lucilii erat commutata. Etenim non vidit ille — ut de hac insequenti tempestate Tullii utar eloquentia — flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia Senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non acerbissimam C. Marii fugam, non illam post reditum ejus caedem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ipse florentissima multis gloria praestiterat.

Haec igitur sententia sub *senis* nomine in loco de quo quaeritur perinde subjicienda est ut apud eundem scriptorem Sat. I, 10, 67, ubi *poetae seniores* sunt priores, ut dicit Schol. Cruq., sed adjuncta hac quam exposui potestate. Ad eandem rationem Pacuvius et Attius senes vocantur Epist. II, 1, 56. Cf. Frotsch. ad Quinctil. X, 1, 97. Neque secus est accipiendum quod Ennius de se ipse praedicat epitaphio illo a Cicerone Tusc. I, 15 servato: *Adspicite, o cives, senis Enni imagini' formam*. Quippe posteritatem his verbis satis magnifice compellat, ut sit nihil rationis habendum, utrum poeta senex decesserit necne.

---

### III.

#### Lucilius ubi natus sit.

Patriam Lucilii fuisse Suessam conjectura est admodum probabilis Jos. Scaligeri ad illud Ausonii (ep. XV, 9):

14) Eadem Ciceroni fuisse mens videtur dicenti Lael. 1, 4:

Rudes Camoenas qui Suessae praevenis

Aevoque cedis, non stilo.

apud quem poetam Lucilii saepius fit mentio. V. epist. V, 36 et imprimis praef. edyll. III, qui locus maxime huc facit, ut ex quo vere auguratum esse Scaligerum cognoscitur: nam etsi is uti nunc est emendationem ab eodem critico doctissimo accepit, tamen haec ipsa adeo certa est, ut dubitari de ea nullo modo possit. Cf. praeter ipsum Ausonii carmen, cui ad rude exemplum Lucilii — ut videtur — admixta sunt Graeca, interpp. ad Petron. c. 4 p. 26 ed. Burm., Festus ad *Schedia* et Ursin. ad Serv. Virg. eclog. II, 4.

Cum vero duae essent illius nominis urbes, altera quae vocabatur Aurunca, altera cognomine Pometia: quaeritur utra Suessarum ab Ausonio dicta sit. Atque Cluverium de Ital. ant. IV, 5 p. 1181 si sequimur, nullus dubitationi locus erit: etenim Pometiam a Tarquinio Superbo ita dicit eversum esse, ut altera urbs in Auruncis sita plerumque auctoribus simpliciter nominata sit Suessa. Quod tamen aliter se habere non modo Livius ostendit et Dionysius, verum, si modo Cluverii emendationem approbemus ab editoribus paene omnibus jam receptam, etiam Strabo lib. V c. 3 (p. 384 ed. Tauchn.) Cf. Mannert. Ital. I p. 644. Namque apparet ex illis, Pometiam vel post Tarquinii tempora exstitisse. Itaque ad illud de quo quaeritur decernendum nobis opus esse videtur firmiore testimonio: idque suppeditat Juvenalis I, 19:

Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,

Per quem magnus equos *Auruncae* flexit *alumnus*,

Si vacat et placidi rationem admittitis, edam.

Quae verba licet in scholiis ab Henninio editis vel ad Tur-

*genus hoc sermonum positum in hominum veterum auctoritate*, et Servio ad Virg. Aen. VIII, 32 animadvertenti hoc: *Senior* (Deus Tiberinus) *aut propter spumas dictum est aut ad reverentiam pertinet; sic Lucanus (I, 188) de urbe Roma adhuc florente: turrigero canos effundens vertice crines.* Cf. Propert. III, 1, 23. 24.

num referantur vel ad Lenium vel ad Silium, qui omnes Auruncae nati dicuntur (v. Casaub. de Sat. II, 5) quorumque Turnus iste magnum in satiricis nomen habuisse fertur (Wernsd. poet. Lat. min. t. III p. LIX): multo tamen verisimilius est, in quo et omnes nostrae memoriae docti consentiunt, denotatum esse a Juvenale Lucilium, cum propter hujus majorem existimationem, tum quod idem v. 165 ita commemoratur, ut dubium non sit, quin eum sibi Juvenalis potissimum ad imitandum proposuerit. Confirmatur vero haec opinio vetustis illis scholiis, quae a C. Barthio in codd. reperta ac nuper a Cramero in publicum emissa sunt quaeque ad l. d. haud ambigue sic loquuntur: *Magnus, quoad ingenium. Dicit de Lucilio, qui fuit ex Affrunca (sic) civitate.*

His expositis forsitan occurrat mihi aliquis exprobrans, nodum me quaesiisse in scirpo, quippe cum a summo viro Niebuhrio (I p. 571) non solum negatum sit diversas fuisse urbes Pometiam atque Auruncam, verum etiam in dubium vocatum (II. n. 186), num Pometia tempore locove ullo fuerit. Attamen ei breviter fidenterque respondeo, nec hoc nec illud mihi posse ulla ratione alia probari nisi hac, ut certis argumentis demonstretur Plinium in iis quae lib. III, c. 9 narraverit magnum per errorem lapsum esse. Quod donec factum erit, a communi doctorum sententia non discedam: quanquam lubenter concedo reliqua quae vel a Livio et Dionysio vel a Strabone de utraque urbe passim tradantur facile ita inter se conciliari posse atque conjungi, omnia ut in unam eandemque conveniant, prius Pometiam illam vocatam, deinde Auruncam, nec tamen in orientem solem ab sinistra Liris ripa sed ab dextera spectantem in occidentem. Ceteroqui non est primus Niebuhrius qui illud sibi statuerit; jam G. J. Vossius, qui de poet. Lat. p. 12 haec habet: *patria Lucilio Suessa Pometia, Auruncorum oppidum*, in unam urbem cadere putavit utrumque cognomen, ab eo-

que non dissentiunt Xylander ad Strab. V, 5. Sigon. et Gruter. ad Liv. VIII, 15, 4. Funccius de adol. ling. Lat. §. 12. p. 89.

Sed ut oratio ad propositum redeat, Suessa Auruncorum, quae a Livio XXIX, 15 inter colonias Latinas refertur et a Cicerone Philipp. XIII, 8 municipium appellatur, colonia est deducta, teste Livio IX, 28, anno ab U. c. 441 Coss. L. Papirio Cursore V. C. Junio Bubulco II. Cf. Sigon. de antiq. jure Ital. II, 5 et ad Liv. XXVII, 9. Discrepat quidem cum Livio Vellejus, qui triennio post Luce-riam (a. U. 442.) Auruncae narrat coloniam collocatam esse i. e. a. 440. At ei non dubito fidei tribuere minus, cum praesertim Livio etiam anonymus quidam Olympiadum auctor accedat. Cluver. Ital. ant. III, 8 p. 1040 et Drak. ad Liv. I. c.

Creditur denique haec urbs sita fuisse inter Minturnas et Teanum, eodem in loco quem hodie tenet *Sessa*. Imminabat igitur illi oraë, cujus felix ac beata amoenitas valde Romanis arrisisse videtur. Zell. Feriensch. I, p. 142. Nam adeo iste tractus omnibus rebus ornatus erat, ut palam esset — quomodo Plinius breviter et nervose dicit N. H. III, 6 — uno in loco gaudentis opus esse naturae. Hic ut non in vitam modo veniret, sed pueritiam, ut mea fert opinio, usque ad quartum decimum annum transigeret, Lucilio acri et assiduo malorum oppugnatori contigit. — Quam rem leviter tetigisse sat erit, neque vero superfluum deprehendetur ei, qui scit quam penitus in omni sensu implicata insideant quae his in terris primo oculos nostros advertunt atque animum volutant, quantamque eadem vim habeant tum ad hunc vel incitandum vel etiam molliendum tum ad dirigendum constituendumque totius vitae cursum.

## IV.

A Lucilio neque majoris Scipionis neque minoris vitam privatam scriptam esse, contra scholiastas Horatii contenditur.

De verbis Trebatii, quibus eum Horatius Sat. II, r. vv. 16. 17. hoc modo sese increpantem fingit:

Attamen et justum poteras et scribere fortem,  
Scipiadam ut sapiens Lucilius —

adnotata sunt in scholiis Cruq. itemque in iis quae esse Porphyronis feruntur haecce: »si non potes gesta Caesaris scribere, at potes justitiam et fortitudinem, ut Lucilius Scipioni fecit, qui vitam illius privatam descripsit, Ennius vero bella.«

De utro Scipionum Africanorum his in verbis cogitaverit Scholiasta (namea ab uno quodam interprete profecta esse patet), tum ex eo intelligitur, quod ejusdem res gestas ab Ennio descriptas autumat, 1) tum ex iis quae de v. *Scipiadas* proferunt et Acron et scholiasta Cruq. Uterque enim significari illum putat, qui Hannibalem ex Italia revocatum vicerit. Sed tamen jam Dousae ad Lucil. p. 184 Hav. et Dacerius ad Hor. l. m. negarunt Lucilium exposuisse de vita superioris Scipionis, propterea quod hic post illum vixisset plus quinque et triginta annis. Quae quidem ratio parum justa videtur eoque irrita est a Baelio in lex. et a Sanadone ad Hor. l. m. Hi contra monuerunt, id quod cogitatu in proclivi est, nihil ea in re causae inesse cur scholiastae erroris incusarentur: imo sibi multo veri similis videri, Lucilium prioris vitam prosecutum esse, scilicet altero petente et res enarrandas haud dubie largiter suppeditante. 2)

1) Hanc rem ipse Horatius declarat Carm. IV, 8, 15—20, libroque singulari id ab Ennio factum esse testificantur Gellius IV, 7 et Macrob. VI, 2. 4.

2) In eadem sententia olim fuit Henr. Glareanus, qui annotat.

Haec quantumvis dictu sint speciosa, tamen ego Dousas et Dacerium non ita temere judicavisse arbitror. Etenim posse vitam alicujus ab eo describi qui sit inferioris aetatis, neuter eorum ut puto infitias iverit; sed dubitasse videntur, num rerum privatarum, quas Lucilius ista in vita explicuisse traditur, idonea monumenta vel testimonia reserventur, e quibus vita jam dudum defuncti hominis posset adumbrari. Bella quidem quae et quo modo Scipio gereret quamque aliam rei publicae operam praeberet, annalibus atque aliis scriptis mandabatur, idque etiamsi Ennius non cecinisset, posteris innotuisset. At quae quis privatim fecit aut dixit, ea puto ne familiarum quidem commentariis nec laudationibus funebribus consignata esse. Cic. Brut. 16. Verum fac, ut Baelius 3) ac Sanado volunt, Scipionem Aemilianum rogavisse a Lucilio, ut vitam avi sui perscriberet, qua id de causa illum fecisse statuamus? Ut recoleret memoriam ejus, cujus nomen unusquisque id aetatis in ore atque in animo habebat neque ulla oblivio posteritatis extinguere potuit? An eum sperasse credideris, fore ut scriptor satirarum, quamvis celeberrimus, honore atque gloria auget victorem Hannibalis? Equidem hominem Romanum, qualis imprimis hic Scipio fuit, nihil curasse reor res privatas, etiam memoria, ut nostra opinio fert, dignissimas.

Sed si quis dicat scholiastas de vita privata commemorantes minus fortasse accurate prodidisse atque sententiam eorum hanc fuisse, Lucilium non tam de vita Scipionis quam de virtutibus exposuisse ejusque mentionem in satiris intulisse cum magnis meritisque laudibus consociatam: mihi ne

ad Hor. Sat. II, 1, 66 Ennium dicit superioris Africani bella scripsisse, Lucilium vitam privatam in gratiam inferioris Scipionis: idque se admonere ideo, quod fere commentatores haec confundant.

3) Hic quidem postquam Dousae rationem ut leviolem ac plane nullam illius approbavitque alteram sententiam, rursus de hac suo more decessit et ad priorem reversus provide subiecit, non semper ea quae essent veri similia vera ipsa esse.

hoc quidem iudicium probari poterit, quandoquidem aptiore et illustriore in loco positae illae virtutes atque explicatae erant ab Ennio, adeo ut hac ipsa re in eam sententiam perducamur, vitam non prioris Scipionis a Lucilio sed posterioris atque ipsi aequalis enarratam fuisse. Atque sic sese rem habere etiam reliquiae satirarum quodammodo demonstrant: in quibus illius nomen nusquam comparet, at Pauli filius memoratur non semel. V. fragm. inc. ap. Dous. VI. VII. libr. XI, V. 4).

Huc vero ut sumus delati, repente nobis oboritur dubitatio, utrum Lucilius singulari libro hujus Scipionis vitam complexus sit an ejus dicta vel facta passim attigerit per satiras plures. Ex iis quae superaverunt hoc est quam illud probabilius. Nec veterum quisquam *Lucilium in Scipione* excitavit, quomodo Ennii liber a Gellio et a Macrobio denominatus est, et quae Acron notavit ad Hor. Sat. II, 1, 16, ea etiam augment dubitationem nostram. Namque sic ait: »si res bellicas ejus non poteras describere, attamen justitiam et fortitudinem animi ejus laudare poteras, sicut Scipionis a Lucilio vita laudata est.« Hinc neutiquam efficitur eam seorsum ab satiris tractatam esse. Quemadmodum vero idem scholiastes ad v. 30 sat. ejusd. *Lucilium* dicit suam vitam scripsisse et non sibi pepercisse, idque apertius et rectius ut opinor a Porphyryone ita indicatur: »ita fit ut Lucilii vita tam clara sit per libros quasi in tabula ostenderetur:« 6) sic illud quod de vita Scipionis tulerunt interpretan-

4) Non magis hac de re ex fragmentis certi aliquid cognoscitur quam superiore loco ubi de militia Lucilii Hispaniensi disserui. Sint licet reliqua e libro XXIX complura, ex quibus in eo suspicioris de bello Punico secundo disputatum esse, pro certo neque id affirmari potest et multo miuus illud, *Lucilium* in hoc libro de vita Africani majoris exposuisse.

5) Non aliter Schol. Cruq.: Ita solet naufragi, suum naufragium in tabella depictum circumferre et in templis alicui deo consecratum suspendere. ad hunc modum Lucilii senis vita tam clara est in suis libris, quasi esset depicta in aliqua tabula. Cf. id. ad v. 30.

dum existimo. Cui opinioni non repugnant verba ipsius Horatii. Nam Trebatius frustra ubi poetae suasit ut res gestas Augusti carmine celebraret, hoc tantum ei ut probrum objicit, quod de illo nullam omnino hucusque mentionem fecerit (probe enim tenendum quod Bentleius monstravit, carmina et epistolas ab Horatio post duos sermonum libros composita esse): quocirca eum, ipsis illis verbis a quibus exorsi sumus adhortatur, ut imitetur Lucilium qui non neglexerit magnum et fortem Scipionis animum versibus ornare utque exemplar quoddam ubicunque res tulerit ad imitandum proponere. Hoc uno modo emergit cur Lucilium ille jureconsultus sapientem vocet: quippe Sanado et Heindorfius quod putant eum idcirco ita appellari, quia non sit ausus eandem rem tentare quam Ennius perfecerat, sed tanquam ejusdem personae alteram et inferiorem partem gessisse contentus fuerit, mihi tota re errasse videntur. Id si poeta sensisset, planius dicendo exprimere debebat: uti vero nunc sunt verba ejus, illorum explicatio nimis longe petita est.

## V.

Tria satirarum Lucilii fragmenta purgata  
ac restituta.

1. Apud Varronem libr. VI (vulgo V) de L. L. c. 7 quoddam Lucilii fragmentum sic exstat;

»Spondere est dicere. Spondeo a sponte; nam id valet et a voluntate. Itaque Lucilius scribit de Cretea

*cum ad se cubitum venerit,*

[sua voluntate] *Sponte ipsam suapte adductam, ut tunicam et cetera reiceret.*

Eandem voluntatem Terentius significat, cum ait satius esse

Sua sponte recte facere quam alieno metu.«

Descripsimus hunc locum, quemadmodum Spengelius eum p. 245 egregiae suae editionis exhibuit: cujus consideratum iudicium alias cum eruditis tum nobis probatum hic desideravimus. Quod enim jam pridem Stephanus in fragm. poett. Lat. p. 209 dubitaverat, »ad verbumne hic Lucilii locus esset ex illo sumptus an aliquantum immutatus, ut videlicet penderent haec *cum ad se cubitum venerit* e verbo *scribit*:« id facile decerni potuit non solum ex *se* pronomine, relato ut manifestum est ad Lucilium, sed etiam ex accusativis *ipsam adductam*, quorum loco si priora quoque poetae essent nominativi requirerentur. Haec ob rem verba *cum ad se cub. ven.* Lucilianis arbitror a Varrone eo consilio praemissa esse, ut sententiam eorum redderet planiorem pluresque transcribere versus supersederet. Quod consilium tenuit etiam in iis quae consequuntur; nam cum apud Terentium allegato versui (Adelph. I, 1, 50) antecedit hic:

Hoc patrium est *potius* consuefacere filium,  
ipse addit breviter, ut fere solet, *salius esse*. Etsi igitur verissime iudicavit Scaliger, quem Fr. Dousa sequebatur, haec *cum ad se cub. ven.* danda Varroni esse, tamen ea Lucilio tributa videmus a Spengelio. Cujus culpa a me veniam impetrabit difficiliter, quam quod illud *sua voluntate* lineis circumductis adulterinum designavit. Ita nimirum etiam Scaligero placebat. Sed est animadvertendum, non abesse haec duo verba ullo ab codice ms.: id quod haud parvi est momenti; siquidem tres illi praestantissimi codd. quibus Spengelius usus est non ex uno eodemque fonte fluxerunt, verum alii ex aliis. V. Speng. praef. p. VIII. Deinde recte mihi hoc videor negare, dicturum fuisse Varronem mox *eandem voluntatem*, nisi ante esset de *sua voluntate* locutus: est enim in promptu *eandem* spectare ad v. *sua.* 1) Num vero opus

1) Eximendus igitur erit hic locus de eorum numero, quos Spengelius p. XL etiam in vetustissimis codd. interpolatos contendit. Qui si Varronis verba esset aequabiliter dispersit, codicum

fuerit adijcere *sua voluntate*, alia quaestio est, neutiquam his in libris instituenda, quorum loquendi genus satis est negligens et ab omni arte alienum.

His jam explicatis videamus, quanta in hoc reconcinando loco Dousae versati sint licentia. Et Janus quidem quicquid adipisci poterat arripuit, incudi imposuit duosque hosce procudit integros versus:

Ipsam sponte sua, cubitum cum venerit ad se,

Adductam ut tunicam et cetera rejiceret.

Imprudenter id factum reor, cum paene pro certo dici possit, interposita illa *cum ad se cub. ven.* a Lucilio ipso longe secus enunciata fuisse. Quare his omissis Franciscus cetera de Scaligeri sententia, ut ait, 2) sic immutavit:

— — sponte ipsa suapte

Adducta ut tunicam et cetera rejiceret.

in quibus cur *ipsa adducta* et *rejiceret* maluerit vir omnium doctissimus quam *ipsam adductam* et *reiceret*, quorum posterius in optimo codice Florentino, illud in omnibus reperiuntur, nullam equidem invenio causam praeter hanc, quod efficiendum putabat ex primis fragmenti verbis finem hexametri versus, quem pentameter ille haud majori labore excogitatus commodissime subsequeretur. Atqui pentametros in Lucilii satiris nullus se legisse commemorat, neque hoc iis quae supersunt poterit evinci. 3)

aestimator paullo fuisset aequior. Novum plane atque illustre lumen de his libris nuperrime accendit O. Mueller: quænam quidem in hoc de quo agitur loco non diffitear ita prorsus cum Spengelio sentire, ut etiam deleverit verba *sua voluntate*.

2) Ex ipsone Scaligero eam acceperit Dousa, ignoratur; scimus autem auctore Luca Fruterio conj. veris. 3, 16, a Mureto haec verba itidem constituta esse, sed de causa magis idonea, quia is etiam praegredientia Lucilio adscribebat: quo scilicet facto nominativi necessarii sunt.

3) Unum illud distichon, quod Donatus ad Ter. Phorm. II, 1, 57 et Martialis XI, 90, 4 memoriae prodiderunt, servi illius epitaphium fuisse suspicor, eo ipso nomine fortasse libro XXII satirarum insertum. In ceteris libris ut reperirent pentametros nondum contigit mihi.

Hactenus de aliorum opinionibus. Meo iudicio locus Varronis sic est restituendus:

»Ideo Lucilius scribit de Cretea, cum ad se cubitum venerit sua voluntate,

*Spónte ipsam suápte adductam, ut tunicam et cetera reiceret.*«

Ita habemus versum septenarium, cujus generis multi restant e libris XXV, XXVI, XXVII, XXVIII itemque ex Ennii satiris ut ap. Gell. II, 29. F. Dousa hoc metrum parum videtur cognitum habuisse; nam non distribuit in versus e. c. haec (libr. XXVI):

Hómines ipsi hanc sibi molestiam últro atque aerumnam ófferunt:

Dúcunt uxorés, producunt quíbus haec faciant líberos.

Haec ego omnia integra duco, et ne *haec*, quidem in *haec* mutandum, ut voluit quidam. V. Donat. ad Ter. Andr. IV, 1, 52 et Bentl. ad ej. fab. II, 1, 28. 6, 7. Eadem negligentia aut ignorantia vulgavit ille hos versus (libr. ejusd.):

Át enim dicis clándestino tibi quod commissúm foret,

Neú mutires quídqum neu mystéria eferrés foras.

Illud *dicis* non video quomodo ferri possit, sed conjecturae Dousae quae sunt *dixi* vel *dixti* valde displicent: mihi totum locum consideranti in mentem venit ut veram scripturam proponere *divi*, patrio casu, ut pendeat e pronomine *quod*. *Divum* namque a Naevio et aliis pro *divino* frequentatum esse vel lexica docent. Cetera non tentem, etiamsi alii pro *tibi quod* suaserint *si quod* vel *si quid*. Cavendum est enim magnopere, ne Lucilium ipsum emendemus. Ista autem rei metricae ignorance factum est, ut apud Dousam Lucilii et Grammaticorum verba in unum confusa legamus, ut XXIII, 1. Versus poetae hic est:

Cúpiditas ex hómine, cupido ex stúllo nunquam tóllitur.

Reliquis continetur additamentum Nonii, cujus sententia quidem ab illo sumpta videtur.

Postremo ad id paulisper unde profecti sumus revertamur. Non enim praetermittam, cujus me ad accuratius intelligenda verba Lucilii opportune commonefecit Westerh. ad Ter. Andr. I, 1, 109, proprie hic positum esse verbum *reji- cendi* atque explicandum *in tergum remove* vel interprete Servio ad Virg. Aen. XI, 619: *retro agere*, vel etiam ut Virgilius ipse Aen. XII, 400 loquitur: *retorquere*, quanquam hoc paululum differt. De synaeresi quae est in v. *reiceret* v. Duk. ad Flor. I, 10, 5 et C. L. Schneider Gr. Lat. I. p. 287, cui bene divinanti accedit J. H. Voss. ad Virg. Eclog. III, 96.

2. Superius fragmentum, in quo verba Lucilii omni labe vacare putavimus, jam subsequatur alterum, a Nonio servatum, quod tum librariorum inscitia ut videtur mire depravatum, tum etiam magis est interpolatum doctorum acumine. Habetur autem in Gothofredi Corpore Grammaticorum p. 740 (VI, 41) sic: Lucilius libro nono

Arripio et rostrum labe atque hoc zeferiatim

Percutio dentesque adversos discutio omneis.

In notulis tamen editor e ms. nescio quo libro haec protulit:

Arripio et rostrum labiasque, hic Zopyrioni percutio

Atque in percutio —

Dousa e vetere ut ait codice edidit ita:

Arr. rostrum, labiasque hujus Zephiri atque im

Percutio, denteisque adversos excutio omnes.

quae Jac. Schegkii in obs. et emendat. ep. 8 aut hunc in modum emendari voluit:

Arr. r. labiasque hascẽ feriatim —

aut cum amico quodam sic:

Arr. r. labiasque hujusce viri atque im —

*im* enim idem esse atque *eum* et e ms. quodam restituendum etiam L. Attio ap. Macr. I, 7, quod tamen nemini

probavit. Mercerus denique qui in sua Nonii editione hanc scripturam codd. vulgavit:

Arr. et r. labeasque hoc Zepheri atque in —  
in notis scribendum censuit:

Arr. et r. labeasque osquē ferio atque im —  
eumque secutus est G. J. Vossius de anal. IV, 4.

Has varias aut librorum mss. scripturas aut emendationes quae vocantur doctorum hominum ego non tam commemoravi, ut refellam eas atque subvertam, quam ut sit aliis comparandi judicandique copia et facultas. Silentio tamen non transeam, in correctione Merceri, felicitis alioquin emendatoris, nonnihil offensionis habere tum *que* particulam in arsi collocatam, tum illud *im*, quod quamvis Lips. Ant. Lectt. 1, cap. extr. et Voss. l. m. Plauto quoque vindicare studuerint (cf. Non. p. 138 Merc.) praeter XII tabb. leges nullo certo adhuc loco repertum est. In iis vero quae e codd. supra consignata sunt proxime ad verum accedere iudico eam scripturam quam Mercerus dedit, depromptam sine dubio ex optimo illo S. Victoris libro (de quo is v. in praef.) cujusque ego vestigia insecutus manum Lucilii in hisce ut ita dicam odoratus sum:

Arripio (et) rostrum labeasque: hoc zopyriatim

Percutio denteisque advorsos discutio omneis.

*Labias* scribatur an *labeas* parum refert, quando utrumque in usu fuisse certum est: illud habet Appulejus, hoc Gellius, de quibus quae a Ruhnkenio praef. ad Oud. App. observata sunt hic memineris velim: antefero tamen hoc loco *labeas* propter auctoritatem libri Victoriani et quod eadem vocis forma L. Pomponius usus est ap. Non. p. 18 Merc. Illud autem quod a Lucilio scriptum conjicio *zopyriatim* ne quis a Mss. notis nimium recedere dicat, sciendum est  $\bar{p}$  et  $\bar{ph}$  et  $\bar{f}$  in libris manu exaratis posita esse paene promiscue, ita ut v. c. nunc *trophaeum* nunc *tropaeum*, modo *triumfus*

modo *trimpus* deprehendatur: quin ipsum de quo disputatur nomen alias sic *Zopirus* alias *Zophirus* scriptum exstare testantur Oudend. ad Frontin. III, 3, 4 et Snakenb. ad Curt. X, 1, 44. At quam facile *Zophirus* vel etiam *Zofirus* mutari potuerit in *Zephyrum* vel potius in *Zefirum* et *Zeferum*, nemo non videt, neque ad comprobendam E et O litterarum permutationem testibus opus est, ut Heins. et Drak. ad Sil. Ital. III, 22. Quo eodem pacto fons alterius E quae est in secunda syllaba demonstrari potest. V. Cort. ad Sall. Iug. c. 25 p. 555 et ad Plin. ep. 1, 5 p. 15 et 18. Fieri etiam potuit, ut ab hac E ipsum Y, priusquam in I litteram abiret, demoveretur: siquidem adnotante Salmasio ad Spartian. sequiorum temporum mos erat, ut in graecis vocabulis E pro Y littera substitueretur.

At vero his testimoniis omnibus nihil, opinor, ad defendendam meam conjecturam opus est. Sicut enim hic mirifico casu accidit, ut homo horridae virtutis locum molli ac leni Favonio daret, ita contrarius error quosdam Quintilianii libros occupaverat, in quibus *Zephyri* et *Zopyri* conjungebantur pro *Ephyris* *Zephyrisque*. V. Buttin. ad XII, 10, 28. Solebant nimirum librarii eo imprudentiae procedere, ut quaecunque oculis aut alio sensu percipere non poterant ea conjecturam assequi et tanquam falsa quovis modo corrigere conarentur. Hi igitur non rati, *zopyriatim* vocem Romanam esse et quidem poetae ut Gellius dicit apprime Latinae linguae scientis, distraxerunt eam in duas partes, quarum in priore cum aetutum *Zephyri* nomen omnibus notissimum agnovissent alteram levi additamento particulae *que* resectam reparatamque opinabantur. Ita *Zephyri atque im* et *Zeferi atque in*, quae Dousa et Mercerus in codd. invenerunt, qua ratione enata sint, probabiliter habes enucleatum. *Hujus* autem quod in Dousana scriptura genitivum antecedit eo ipso emendatoris esse proditur. Quodsi ex his erroribus verum eruere difficilius est, ii, quibus *zefriatim*

illud ap. Gothofr. debetur, ob modestiam suam merita a nobis laude exornentur; nam manifestum est eos satis habuisse litterarum notas prius depravatas imitando depingere.

His constitutis ac nonnemi ut arbitror comprobatis — nam his quoque in rebus *πᾶσιν* ut ajunt *ἀδείν χαλεπὸν* — nihil videtur ad explananda verba Lucilii adjiciendum esse. Ita sunt plana atque perspicua omnia. *Zopyriatim* adsimulanter dictum est, ut de hujusmodi adverbis loquitur Nigidius Figulus ap. Non. p. 40 Merc., pro eo quod est *in modum Zopyri*, similique adverbio in re haud absimili Juvenitius usus est ap. Charis. II p. 196 Putsch.: *Caput ei testatim defregero*, et L. Pomponius Verre aegroto Non. p. 178: *Jam istam colaphis comminuissem testatim tibi*. Adde quod adverbia in *im* aut *atim* exeuntia vulgari antiquiorum scriptorum usu trita fuere. Gell. XII, 15. Auson. Popma de usu ant. locut. I, 13 et Both. fragm. poett. p. 123. Magnaque eorum copia quam Voss. de anal. IV, 20 congescit sine labore augeri potest. Si vero haereat quis in forma istius vocis, quia in adverbis quotquot in *atim* desinant haec terminatio cum litteris — ut noster loquendi usus fert — radicalibus connecti soleat, nulla scilicet interposita copula qualis hic cernatur in I littera syllabae tertiae: is videat ne de Lucilio severius judicet. Nam tametsi verum est isto modo omnia fere hujus generis adverbia effecta esse, ut *bov-atim*, *can-atim*, *gran-atim*, *copul-atim*, *cateru-atim*, nec I ante A offendi nisi ea etiam in verbo nativo syllabae extremae antecedit, velut in his: *centuri-atim*, *decuri-atim*, *propri-atim*, *osti-atim*: tamen poetae quod *zopyr-i-atim* maluit non omnis deest excusatio. Primum enim ut mittam quod *zōpyrātīm* versus heroicus respuit, licuit a) Lucilio exemplum

4) Similiter Lucilius dicere *Scipiadam* maluit quam quod legitima ratio postulabat *Scipioniden*. Tamen eum non solum Lucretius secutus est sed elegantior poeta Horatius. Heindorf. ad Sat.

eorum verborum sequi, quae item profecta a nominibus propriis, simulatque A in penultima adsumpserunt, I littera nunquam fere carent, ut *Caesar-i-anus*, *Jov-i-alis*. Prisc. II, 10. I. p. 96 Kr. Atque licuit, inquam, non quidem debuit, quia haec rectius derivantur ab iis quae sunt *Caesari-us*, *Jovi-us*: id quod Priscianum non fugit. Plus autem excusationis peti potest e voce *fasc-i-atim*, quam Charisius propter id quod valet non a *fasc-ia* sed a *fasc-e* trahendam contendit. Voss. Etym. s. v. fascis.

Sed jam quaeri ex me identidem audio, quorsus tandem novum istoc verbum spectet. Nolite alte repetere. Respexit Lucilius, nisi omnia me fallunt, Persam illum, de quo Herodotus III, 154 et Justinus I, 10 aliique multi narraverunt: idque qua fecerit ratione reliqua verba satis superque declarant. 5) Quam ne lectores non intelligerent ei verendum non erat; nam Zopyri factum apud omnes pervulgatum erat proverbio illo quod Cratinus in Pylaea usurpasse traditur: *Ζωπύρου τύλαντα*. V. Hesych., Phot. in lex., Suidas, Zenob. IV, 9.

Si denique quae sunt modo a me disputata eruditibus non prorsus improbantur, etiam *Zopyrionis* nomen, quod Gothofredus se in codice quodam vidisse ait, unde huc irreperit ostendere possim. Est illud in fragmento quod Nonius p. 210 Merc. e libro XXIII satirarum servavit:

Zopyrion labeas caedit utrinque secus.

Dousa ex emendatione Hadr. Iunii:

Zopyrion labias discidit utrumque secutus.

Quibus ego non suffragatus illud rectius puto, praeterquam quod *que* particula me iterum offendit, ita ut existimem eam

II, 1, 17. Ceterum alia id genus multa peccari in omnibus linguis, ac maxime a poetis, quis est qui ignoret?

5) Multam negotii cum facie non quidem sua sed aliorum etiam alii cuidam Zopyro fuisse memoravit Cicero Tusc. IV, 37. de Fato 5.

delendam esse. Nam *utrinsecus* pariter dictum videtur atque *intrinsecus* et similia. Nomen vero quod est *Zopyrion* non minus ad illum Persam quam *zopyriatim* referam: et si graeca vocabula quae in *ιωv* finiuntur deminutiva aequae ut patronymica dicenda sint (quod laud difficile obtinebo, quoniam utraque etiam notionis similitudine juncta sunt), isto nomine petitem arbitror homunculum quendam, qui ad modum Zopyri ipse laceraret deformaretque os suum. Hac et rei et verborum similitudine forsitan commotus sit quispiam, ut superiori loco quem non intelligeret hocce nomen adscriberet itaque locum daret depravationi.

---

3. Ad tertium locum qui est apud Festum aggredimur, lubricum illum et prioribus duobus longe difficiliorem: in quo faciendum est nobis, ut contra communem doctorum opinionem libri miserrimae conditionis auctoritate et conjectura facta e rebus occultis et paene abditis pugnemus. Vulgavit autem in Festo non modo Ant. Augustinus, sed cui fidem majorem habendam esse constat Ursinus in v. *Redantruare* sic:

»*Redantruare* dicitur in Saliorum exultationibus: cum praesul ampiruavit, quod est motus edidit, ei referuntur invicem iidem motus. *Lucilius*:

*praesul ut ampiruet, inde vulgus redamplavit;*

at Pacuvius:

Proaertrenda gratia

Simul cum videam Grajos nihil mediocriter  
redantruare, opibusque summis persequi.«

Cum his componendus est Nonius p. 165 Merc.:

»*Redandruare*, redire. *Lucil.* lib. VIII:

— ut vulgus redandruet inde.

Pacuvius Chryse:

Graecos nihil mediocriter redandruare.«

in quibus omnibus praeter Pacuviani loci initium, probe ut arbitror restitutum a Scaligero, et excepta Luciliani versus parte altera, quam esse vitiosam et numerus perturbatus coarguit et Nonius significat, nihil mea de sententia emendatricem manum requirit. Quod tamen a plerisque qui locum hunc attigerunt aliter existimatum est. Corrigenda enim iudicarunt non ea solum quae dixi, verum etiam *ampiruat* et *ampiruet*, idque legitima causa declarata nulla. Tantummodo propter similitudinem quandam, si quid video, utrumque verbum, et illud quod Grammaticus interpretandum proposuit et hoc quod est *ampirvare*, illi ad eandem formam originemque revocantes scriptum alii voluerunt *redamtruare* et *amtruare*, ut Merula et Bothius fragm. trag. p. 116, alii, ut Scaliger 6) et Ursinus, etiam P ante T inseruerunt, scilicet ut emendatio omnes in se haberet numeros veritatis. Stirpem vocis deprehendisse omnes sibi in eo videbantur quod est *trua*, qua in ollis cibus inter coquendum agitaretur: nempe ab hoc factum esse *truare*, quod Paulus in excerptis commemorat, indeque rursus nata et *amtruare* i. e. circumvolvere et *redamtruare*. V. imprimis Voss. Etym. v. trua.

Haec sententia quo maiorem veritatis speciem habet (habet autem necesse est, quoniam versum Lucilii ita ut Merula eum immutavit etiam Hermannus de Hyperbole (Lips. 1829) nuper adhibuit): hoc diligentius quibus rebus ea nitatur intuendum excutiendumque puto.

Ac primum quidem *redamtruare* minime licet mutari, quippe quod eodem modo etiam Nonius extulerit (nam D litteram pro T nihil moror): quem sua a Festo sumpsisse verisimile non est. Neque ambigi potest, quin sit illud ab

6) Idem Dacerio ut *redentruare* et *redemplavit* scriberet temere persuasit: etenim apud ipsum Festum mox narratur Romanos *redarguisse* et *peravesum* maluisse quam quod Scipioni Aemiliano placuerit *rederguisse* et *pertisum*.

eo ducendum, quod Paulus tum *recurrere* tum *gratias referre* explicat: siquidem *antroare* diversum ab eo esse quod ab eodem proxime prolatum sit *andruare* recte mihi negare videtur Ant. Augustinus. In his vero scribendis itidem a librariis peccatum esse adeo, ut uno alterove loco vel etiam utroque *amtruare* reponendum sit, nemo facile credet, nisi quis forte vult corrigi etiam significationem quam Paulus indicat. Quodsi igitur recte se habet *redantruare*, discrimen inter hoc et *ampirvare* tantum est meo quidem iudicio, ut si mera id conjectura tollendum statuamus nihil futurum sit in omni Festi libro, quantumvis lacero, quod non quo quisque voluerit modo interpolari debeat. Neque in promptu est unde illud exortum sit perspicere. Nam librarium, sive dictantem auribus sequebatur sive volumen ex quo transcripsit suis ipsius oculis inspiciebat, bis in eodem loco tam mire lapsus esse, ut nunc *redantruare* recte, nunc *ampirvavit* et *ampirvet* perperam exararet, credi vix potest.

Sicut vero de scribendi ratione, item de subjecta his verbis sententia a Scaligero ceterisque eum secutis dissentio. Quid enim Festus aliud de ea prodidit quam quod enunciat hoc modo: *ei referuntur invicem iidem motus?* Quae ad id quod praeposuit pertinere apertum est atque non modo Nonius demonstrat, sed etiam Pacuvii locus patefacit. Istius quidem interpretatio quae est *redire* laborat vitio, quod quale sit ex loco proximo intelligi potest. Nam etiam *redhostire* quod deinceps sequitur idem explicatur esse atque *redire*, pro quo Mercerus recte reponi voluit *reddere*. Quae conjectura firmatur a Festo; namque is, qui eandem vocem affert, significare eam docet *referre gratiam*. Ac potuit simpliciter dicere *referre* (v. Goerenz. Cic. Acad. II, 47, 146) sive *reddere* (Burm. Petron. c. 58 p. 382). Quod posterius Nonio restituendum est utrobique. Accedit denique quod eandem vim, si Pauli excerptis credere licet, simplex verbum *antroandi* habuisse videtur: cui apposuit ille *referre gratias*.

Quamquam haec ipsa verborum aequalitas Dacerio offensioni fuit, affirmanti sic *gratias referre non antroare* 7) sed potius *redamptuare* interpretandum fuisse. Ast ille oblitus est praepositionem in compositis saepe nihil proprium conferre, verum esse augendae duntaxat intendendaeque simplicis potestati. Cf. *linquere* et *relinquere*.

Apparet ex his quae modo disserui, ut Scaligero et Merulae nihil fere fuerit causae cur codicis scripturam rejicerent, sic contra consultius multo fecisse Turnebum Advers. 17, 8 et Brissonium de Formulis I. p. 127, qui eam retinerent. Quorum hic de vera *ampirvandi* vel potestate vel origine nihil commonet; ille autem utramque enotare conatus est. »Lingua Gallica, inquit, vocabulum habet *pirvetare*, quod veterem redolet originem. Nam *ampirvare* praesul Saliorum dicebatur, cum in saltatione motus edebat girumque aut saltum dederat, cui mox alii qui in choro erant eodem gestu motus reddebant, quod *redantruare* dicebant: hinc versus ille Lucilii apud Festum:

Praesul ut ampirvat, sic vulgus redantruat ipsum.α

Verum enimvero de hac voce quamvis simillima ejus quae hodieque ista in lingua exstat sic *pirouëtter*, ita ut hanc potuisse ex illa fieri non negem, tamen cum nihil traditum sit apud lexicorum scriptores, neque apud quenquam alium quantum scio: facere non possum quin de veritate ejus subdubitem atque *ampirvare* 8) illud non ex Gallico sive Celtico

7) Non reticendum est in hoc recondito verbo difficultatis aliquid et obscuritatis residere: quod quamvis ab altero q. e. *andruare* vel *inscita* vel negligentia Pauli separatim videatur, longe tamen distat ab eo quod Scaliger et Gothofr. ad Fest. I. c. et Bourdelot. Petron. c. 9 p. 54 in Glossariis tum explicatum invenerunt *ἀνδροίξεσθαι* tum novo vocabulo *σηλεύσαι*, Sed Glossographi videntur: Verrio Flacco non est quod diffidamus.

8) Bas. Faber in lexico s. *amtruo* dicit compositum hoc nescio quibus videri ex *ἀντ* (aeol. pro *ἀμψ*) et *ruo*. Quo ineptum minus puto trahere illud a *piro*, quandoquidem etiam apud Graecos quosdam puerorum saltantium chori appellabantur *βαλλαχράδαι*.

sermone sed aliunde emanasse suspicer. Omnia autem quae de Saliorum ritibus prodita sunt rimanti mihi in mentem venit quaerere, numquid debeat origo ejus referri ad id quod Graeci ἄμπειραν dicebant, quod nomen Hesychius ἔνθμῶτινι ἀλλητικῶν impositum ait. Nam Salios accinentibus tibiis saltasse memoravit Dionysius Ant. II, 70. Accuratius, quam Hesychius, gravissimo auctore Timosthene scriptum reliquit Strabo IX, 3, ex quinque nomi Pythici partibus, ejus quo primum Cretenses quidam Apollinis e Pythone relatam victoriam celebravisse Delphis ferebantur, partem secundam dictam esse ἄμπειραν. Cf. Pausan. X, 7 et Facius ad ejusd. libri c. 6 extr. Quae Pythia solemnia statim ab initio non sine saltatione quadam peracta esse ostendit O. Mueller Doriens. vol. I p. 350; quin Jul. Scaliger Poet. I, 23 ipsam saltationem in partes totidem, etsi paullo diversas, distributam arbitratus est. Cujus vero sententiae cum nullam rationem reddiderit et quas partes saltationis enumerat eas τοῦ Πυθικοῦ νόμου i. e. cantici fuisse Pollux IV, 84 testificetur: Boeckhiius de metris Pindari p. 182 conatus est ad tollendam discrepantiam quae Straboni cum Polluce intercedit explicare totam cantici illius rationem, ita ut hos duos scriptores conciliaret non solum inter se verum etiam cum auctore argumenti Pythiorum, cujus de eadem re testimonium rursus ab illis et maxime quidem a Strabone discrepat. Quae res quomodo viro doctissimo acutissimoque successerit vix audeo dicere: adeo enim obscure negligenterque veteres de isto nomo tradiderunt. Haec tamen quasi praeteriens contra morem, primum nequaquam minuendum esse partium numerum de quo Strabo et Pollux consentiant; deinde reliquam eorum diversitatem potius imputandam videri immutatae atque corruptae aetatis inferioris consuetudini (de qua Plutar-

Plut. Qu. gr. 51 p. 405. Adseverantius dixerim a *piro* ductum esse Francogallorum vocabulum *pirouette*, videlicet propter verticilli hujus lusorii figuram.

chus, Athenaeus aliique multa questi sunt) quam ipsorum imprudentiae aut harum rerum ignorationi; denique dissidere inter se tam graviter illos, ut, si omnes eadem de re locutos sumamus, ejus veriore et antiquiore rationem Strabo potius atque Timosthenes (quem permagni licet aliis in rebus aestimatum ab Eratosthene perhibent) quam duo reliqui exposuisse putandi sint.

Sed ad propositum redeamus. Ut igitur fuerit *ἄμπειρα* quam vocabant non saltationis sed pars quaedam cantici quod in Apollinis honorem Delphis edebatur, probabile est tamen etiam saltationem ei sic fuisse adjunctam, ut partibus ejus certo quodam modo responderet. quo scilicet fieri potuit ut aliquod motuum genus isto nomine designaretur: certe apud Romanos translatum hoc esse ad tripudium nemo opinor mirabitur. Atque sic etiam Joa. Argolum 9) sensisse video, qui narrationem Strabonis haud inscite, ut existimo, ad illustranda Claudiani verba adhibuerit de VI Cons. Honor. v. 626—30:

Armatus hic saepe choros certaue vagandi  
 Textas lege fugas inconfusosque recursus  
 Et pulcras errorum acies jucundaue Martis  
 Cernimus: insonuit cum verbere signa magister,  
 626 Mutatosque edunt pariter tot pectora motus,  
 In latus allisis clipeis aut rursus in altum  
 Vibratis, grave parma sonat mucronis acuti  
 Murmure et umbonum pulsus modulante resultans,  
 Ferreus alterno concentus clauditur ense.

Quibus versibus significari ait proceleusmaticum rhythmum 10) in batuatione illa edi solitum. »Illiditur, inquit, clipeus clipeo et praeludium scilicet anacrusis redditur: in altum vibratus remugit et *ampiram* i. e. primum certandi periculum signat: mucro acutum reddens certamen ipsum et cataceleus-

9) Ad Onuphr. Panv. de ludis Circens. II, 2 in Graevii thes. t. IX p. 342.

10) Cf. Odofr. Mueller Tusc. II p. 217.

mum denotat. Umbonum conflictus iambum et Paeanam, nempe jam terminatam victoriam, ensium complosio syringas referunt, ipsius Pythonis morientis jam ultimum sibilum. Equidem si in his tam involutis rebus ariolari permittitur, illo in loco talem quendam describi ludum conjicio qualem facere sint soliti ipsi Salii, et ἀνάκρουσιν declarari jam v. 625: *insonuit cum verbere signa magister*. Magister enim qui hic appellatur aut idem atque Saliorum praesul est aut vates eorum: quanquam his quoque magister praefuit qui nonnunquam carmina recitabat. V. Gutberl. de Saliis p. 41. Similiter Graecorum chori ubique ἐξάρχοντα quendam habebant qui paeanem vel aliud μέλος ἀνεκρούετο. V. Archiloch. rell. 44. p. 128 Liebel. Non tamen Argolus hoc unum nomi Pythici apud Romanos vestigium repperit, cui praeter Claudianum Petronius quoque ad illum spectasse videbatur c. 115 his in verbis: *Audimus murmur insolitum — quasi cupientis exire belluae gemitum*, et quae paullo post Eumolpus dicit: *sinite me sententiam explere; laborat carmen in fine*. Quae opinio si vana non sit, et illud *exire* quod in ora codicis Almel. notatum erat vulgari scripturae praefendum erit, et falsissimas ineptissimasque omnes esse hujus loci explanationes manifestum atque apertum est.

His jam profligatis vereri me fateor, ne quis mirabundus quaerat ex me, quibus ego rationibus impulsus carmina et exultationes Saliorum ad Pythiorum modum instituta fuisse non credam (quoniam libera sint judicia) sed persuadere aliis quoque studeam. Vereri inquam, quod argumenta certissima atque signa omni luce clariora mihi prorsus desunt: nec vero adesse possunt propter summam rei de qua agitur vetustatem. Ne illud quidem quod vulgo creditur inter antiquos scriptores convenit, a Numa illud sacerdotium constitutum consecratumque Marti fuisse. Quod si etiam facile concedatur, vestigia e quibus conjecturam meam cepi ita recondita sunt ac prope obruta, ut intelligam omnem hanc

disputationem, et longiorem et ab hoc loco ut videtur alienam, differendam mihi esse in aliud tempus. Ut hoc unum commemorem, unde profluxisse opinionem duxeris eorum qui Numam, quem Cicero regem doctissimum nuncupat, aemulatum quaedam Minois Lycurgique instituta narrarunt? Talia meo quidem iudicio fingi non poterant, nisi exstabant certa indicia ex quibus colligerentur. Atqui ego minime defendam sacra Saliorum omni ab parte Pythiorum similia fuisse vel Numam legatos misisse in Graeciam qui sacerdotia, quorum auctor fuisse fertur, inde repeterent.

Denique vix est quod moneam in Saliari carmine alia quoque vocabula inveniri, quae originem Graecam manifesto prae se ferant, ut *pescia*, de quo vocabulo v. Fest. et Gutberl. p. 146, et *tripudium*, quod propius esse Graecorum *πόδα* quam Latinorum pedem patet et recte interpretatur Auson. Popma de differ. verb. s. Saltare. Item *Cosauli* ap. Varr. de l. Lat. VII, 3 p. 512 Speng. Graecorum *χόραυλοι* esse videntur, quod verbum Pollux servavit.

His igitur omnibus partim confectis partim tentatis modo et quasi procul monstratis, redeo tandem ad versum Lucilii, qui huius disputationis nobis necessitatem imposuit. Cujus cum evidens sit posteriorem partem apud Festum corruptam esse, eam vero ipsam afferri a Nonio idque memoriter ut opinor: ex utroque illum sic compono atque propono:

*Praesul ut ampirvat, sic vulgu' redantruat inde.*

V a r g e s.